DE POTESTATE
PRESBYTERORUM
IN ADMINISTRATIONE
SACRAMENTI POENITENTIAE

DISSERTATIONES

DUAE

JOANNIS BAPTISTAE

LOCATELLI ZUCCALAE

BERGOMI

APUD LOCATELLUM

MDCCLXXXVII.

CUM FACULTATE.

EXCELLENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

JOANNI PAULO DELPHINO

EPISCOPO BERGOM. COM. ETC.

JOANNES BAPT. LOCATELLUS ZUCCALA

S. P. D.

Ut primum, Excellentiss. & Reverendiss. Præsul, disserere de sacerdotali potestate administrandi

ſacramentum pœnitentiæ propoſui, Tibi etiam dicare opuſculum ac devovere conſtitui. Quoniam licet tenue & mole ſua exiguum ſit, Tibi nihilominus debebatur, ad quem res, de qua agitur, & auctor pertinet. Quam vero conſilium hoc, dum veterum monumentorum, quæ inveſtigare & perſcrutari neceſſarium erat, multitudine, varietate, ac ſumma rerum difficultate prorſus fatigabar, ſenſum & animum moverit, ac juverit, vix credere Te poſſe arbitror. Cum enim me contendere ac laborare animadvertebam, ut lucubrationes meas Tibi offerrem, ac meæ erga Te obſervantiæ venerationiſque teſtimonium perhibere poſſem, tæ-

dium omne laboris prorſus evaneſcere ſentiebam; adeo tua vere ſingularis Benignitas, Clementia, Manſuetudo me recreabat. Illud etiam accedebat, quod probe ſciebam, quam ſapienter novitates quaſcunque in iis, quæ ad religionem ſpectant, ut plurimum noxias, averſaris; indeque ſpes affulgebat, Te hoc qualecunque ſit opuſculum facile approbaturum. Unum igitur reſtat, ut illud adjumento tuo abſolutum animo, quo ſoles, benigno accipias, & ſub auſpiciis tuis in lucem venire permittas. Vale.

LECTORI

Quamquam hac in lucubratione eo præcipue intenderim, ut ostenderem irritam nullamque esse absolutionem a presbytero impertitam reo criminum *reservatorum*; cum id vix, aut ne vix quidem rite & recte fieri posse mihi videatur, nisi prius ecclesiæ disciplina ab antiquissimis derivata temporibus & diu propagata circa pœnitentiæ sacramenti ministros proponatur: id propterea priscis insistendo documentis sacrisque potissimum canonibus prima conficiam dissertatione. Quod eo libentius præstabo, quo confidentius a nonnullis recentioribus detrahitur ecclesiasticis legibus, quæ per *casuum reservationem* presbyterorum potestatem in ministrando pœnitentiæ sacramento coarctant, ac si id novum esset inventum, presbyteris injurio-

sum, pœnitentibus noxium; ac proinde in votis habent reservationis hujusmodi abrogationem. Palam igitur fiet, hodiernam ecclesiæ hac de re consuetudinem ab antiquissima profluxisse, ideoque canonicam in primis, laudabilem, justam, atque proficuam habendam esse.

Hoc autem late demonstrato, altera dissertatione, quod præcipue intendimus, confirmabimus, nempe non modo illicitam, sed prorsus nullius momenti esse a presbytero de reservatis attentatam absolutionem, præter quam in casibus a jure permissis; quod quidem, etiamsi communi theologorum sententia, quin etiam sacrosancti Tridentini concilii decretis præclare constitutum sit, nemo sane in præsentiarum supervacaneum fore existimaverit modis omnibus comprobare, qui noverit proxime superioribus annis non defuisse tam in Galliis, quam in Italia, qui

parvifacientes theologorum auctoritatem, & Tridentini sententiam pervertentes propugnare non dubitaverint illicitas duntaxat, non vero irritas esse absolutiones iis, qui casibus reservatis obstringuntur, sine episcopi permissu datas.

Cum vero hæc una ferme ratio defendendi fidei dogmata, & ea, quæ propius eis accedunt, a majoribus nostris passim adhibita fuerit, ut si quando nova exurgeret opinio, quæ iisdem adversari videretur, eam continuo objecta sacræ antiquitatis & traditionis auctoritate falsitatis arguerent, ita ego eorum vestigiis inhærens vetera ecclesiæ investigabo monumenta, & quid vere senserint patres, ad quos etiam adversarii nostri appellant, exponam, ac etiam Tridentini sententiam vindicabo. Non ita tamen, ut omnia commenta & sophismata refellere mihi in animo sit, quæ adversus hanc certissi-

mam sententiam excogitata sunt, aut ab exteris scriptoribus, quorum opera nunquam habere mihi licuit, sed tantummodo illorum summam in ephemeridibus relatam legi, aut a clarissimo Aloisio Litta in ejus epistola, cui titulus *Della Sacramentale Assoluzione de' casi riservati;* præsertim cum hujus cavillationes optime exponat, ac dissolvat clarissimus P. M. Cristianopoli ex inclyto FF. Prædicatorum ordine in libro nuper edito inscripto *Della Nullità Delle Assoluzioni de' casi riservati*, qui ea omittens, quæ ad prisca ecclesiæ sæcula spectant, amplum reliquit huic opusculo locum. Antiquis igitur potissimum insistam monumentis, & mea exposita ac confirmata sententia, nonnisi quum necesse fuerit, adversariorum commenta refutabo.

Habes itaque candide lector harum dissertationum argumentum,

quod si non ea, qua par est, eruditione & ingenio, pertractatum inveneris, id non negligentiæ (nullis enim perperci laboribus), sed virium mearum exiguitati referas velim; quin etiam librorum defectui, cum nonnullis caruerim, quibus forsan hoc opusculum locupletari ac corrigi potuisset. Ex quo etiam factum est, ut aliquoties textibus ab aliis scriptoribus allatis uti necesse fuerit, inconsultis eorum auctoribus, quod, quam sit erroribus obnoxium, plane eruditis compertum est. Quomodocumque igitur errare mihi contigerit, quod utinam perraro accidat, *non me pigebit, dum vivo, ac hæc & quæcumque scripsero vel mea diligentia, vel amicorum monitu, vel invidorum vituperatione; si fuerit justa, emendare (1).*

(1) Priscianus.

NOI RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

Avendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. Serafino Bonaldi Inquisitor General del Santo Offizio di Bergamo nel Libro intitolato *De Potestate Presbyterorum in Sacramenti Poenitentiae administratione Dissertationes duae Joannis Baptistae Locatelli Zuccalae &c. MS.* non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimenti per attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e Buoni Costumi, concediamo Licenza a *Francesco Locatelli* Stampator di Bergamo, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 27. Dicembre 1786.

(*Andrea Querini Riformat.*

(*Cav. P.º Morosini Riformat.*

(*Zuanne Vallaresso Riformat.*

Registrato in Libro a Carte 209. al num. 1925.

Giuseppe Gradenigo Segr.

INDEX

DISSERTATIO I.

DISSERTATIO II.

ERRATA				CORRIGE
Pag. 53.	lin.	3.	reconcilarent	reconciliarent
110.	lin.	8.	disinente	desinente
149.	lin.	1.	est	habes
216.	lin.	9.	affictione	affixione
224.	lin.	21.	exercitat. 3.	exercitat 5.
250.	lin.	4.	simila	similia
8.	lin.	13.	in præf. presbyterorum	a presbyteris

Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ ad Ecclesiam spectant. *S. IGNATIUS MARTYR epist. ad Smirnæos.*

DISSERTATIO

I.

Presbyterorum potestatem in sacramenti pœnitentiæ administratione ab antiquissimis usque temporibus certis limitibus circumscriptam semper fuisse ostenditur.

Privilegium sane non ultimum, imo forsan omnium, quæ ecclesiæ suæ contulit Christus, maximum est remittendorum in sacramento pœnitentiæ criminum facultas. Quid enim majus esse potest, quam Dei nomine sacerdotes, quoties saluti pœnitentium expedire judicant, hominum placitis obsequente Domino, culpas omnes condonare, donum Dei baptismo comparatum, sed peccato deperditum reddere, æterna supplicia temporariis pœnis commutare, at-

que in pristinum ad perpetuam gloriam jus, & gratiam amicitiamque Dei eos restituere?

Non omnibus tamen ecclesiæ ministris, sed solis episcopis & presbyteris Christum hanc concessisse potestatem nemo catholicorum (1) dubitat, præsertim posteaquam concilium Tridentinum sessione 14. cap. 6. tradidit: *Circa ministrum autem hujus sacramenti* (pœnitentiæ scilicet) *declarat sancta synodus, falsas esse & a veritate Evangelii alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines præter episcopos & sacerdotes clavium ministerium perniciose extendunt.*

Quamvis autem presbyteri hanc in *ordinatione* recipiant potestatem, quæ a theologis potestas *ordinis* dicitur, atque hæc ad omnia crimina se extendat, ita ut nullum sit, quod ab eis nequeat remitti: at-

(1) Tournely de sacram. pœnit. quæst. 10. art. 1., aliique eruditissimum Joannem Morinum insimulant existimasse in opere, cui titulus *Commentarius Historicus* de sacramento pœnitentiæ, olim diaconos pœnitentes *sacramentaliter*, ut ajunt, absolvisse, cum urgebat necessitas, & nullus aderat episcopus, vel presbyter; sed falso prorsus; consule præsertim, quæ habet in *recognitione operis*.

tamen ea semper fuit ecclesiæ consuetudo, ut illa presbyteri non uterentur, nisi mandantibus vel consentientibus episcopis. Hic vero consensus *jurisdictio* a canonistis vocatur, quod presbyteris assignantur subditi, in quos sententiam ferant in *conscientiæ foro*, ut ajunt, quæque ipsis tribuitur, cum vel officium aliquod eis confertur, cui sit annexa pœnitentium reconciliatio, ut ex. gra. parochiale beneficium, vel ad audiendas confessiones approbantur. Quoniam tamen episcoporum consensus, seu attributa jurisdictio, ut plurimum quibusdam terminis circumscripta conceditur ita, ut ultra eos progredi non liceat: hinc *casuum reservatio* originem habuit.

Hanc in ecclesiæ præsulibus auctoritatem servandi sibi quorundam criminum absolutionem, simulque illam ad christiani populi disciplinam magnopere pertinere asseruit concilium Tridentinum sess. 14. cap. 7., nosque in hac dissertatione confirmabimus, singillatim exponendo veterem per complura sæcula ecclesiæ praxim circa sacramenti pœnitentiæ administrationem. Id autem ut clarius perficiamus, dispertitis capitibus diversis ecclesiæ epochis respondentibus persequemur.

CAPUT I.

Ad quosnam pœnitentium reconciliatio usque ad Decii (1) persecutionem spectaret.

Quamvis episcopi juxta præsentem ecclesiæ consuetudinem implicatissimis diœcesis negotiis occupati a pœnitentiæ sacramenti administratione prorsus vel saltem maxima ex parte se abstineant: non ita tamen se habuit disciplina in ecclesiæ primordiis. Cum enim apostoli constituti fuerint primarii hujus sacramenti ministri; etenim cum ipsis loquitur Christus Matt. 18.: *Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo;* rursumque Joann. 20.: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.*: episcopi, qui pro-

(1) Decius usurpavit imperium anno 249: cui Gallus suffectus est anno 252. vel ann. 251, ut alii volunt. De Decii persecutione vide, si lubet, inter alia præfationem generalem in acta martyrum Theodorici Ruinart p. 52. editionis Amstelædami ann. 1713.

xime eis succedunt, illud continuo administrarunt; ita ut presbyteri nonnisi eos, qui in mortis discrimine versabantur, nulloque antistite præsente, vel etiam in diuturniori episcoporum absentia, ex speciali eorundem commissione pœnitentes reconciliarent; ut tradunt Martene de antiquis ecclesiæ ritibus libr. 1. cap. 6. art. 6., Thomassinus de ecclesiæ disciplina p. 1. l. 2. cap. 23., Selvagius in institutionibus antiquit. christian., aliiq. eruditiores harum rerum tractatores.

Hoc autem primum colligere est ex singulis fere epistolis s. Ignatii Joannis apostoli & evangelistæ discipuli, cui nihil in ipsis magis cordi fuit, quam modo presbyteros, modo populum admonere, ut episcopos velut Jesum Christum revererentur, & ne hilum quidem eorum injussu aggrederentur. Inter alias in epistola ad Smirnæos editione Cotelerii hæc scribit: *Sine episcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ ad ecclesiam spectant. Rata eucharistia habeatur illa, quæ sub episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit. Ubi comparuerit episcopus, ibi & multitudo sit: quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi & catholica est ecclesia. Non licet sine*

episcopo neque baptizare, neque agapen celebrare: sed quodcunque ille probaverit, hoc & Deo est beneplacitum: ut tutum ratumque sit quodcunque agitur. Etsi sanctus martyr de pœnitentia expresse non loquatur, tamen cum dicat *nihil eorum*, quæ ad ecclesiam spectant, peragi potuisse a presbyteris sine episcopo, omnem ministerialem functionem comprehendit, proindeque etiam pœnitentiæ sacramenti administrationem. Præterea ad peculiaria descendens presbyteros vetat, ne baptismum conferant, vel eucharistiam conficiant, distribuantque *sine episcopo*, idest non nisi una cum episcopo, vel saltem ex episcopi auctoritate tanquam ab ipsius mandato pendentes: quod argumento est prohibitos etiam fuisse presbyteros, ne denuo pœnitentes in Dei gratiam restituerent absque speciali episcoporum commissione. Par enim, imo potior est ratio, præsertim si de eucharistia loquamur. Nam quis eruditorum ignorat priscis illis temporibus maximi ponderis & momenti negotium pœnitentium reconciliationem habitam fuisse, non solum quia actio esset ministerialis, jusque daret immediatum reconciliatis ad sacram synaxim, cum saltem ante Novatianorum hæ-

resim, statim ac absolutionem assecuti essent, ad sacram mensam consistere poterant, sed præcipue, quia pœnæ sceleribus imponendæ ante Montani errores ab episcoporum ut plurimum prudentia pendebant, quodque certe inter primaria episcoporum munia recensitum esse jam eruditis compertum est, patebitque in hujus opusculi decursu.

Postea expresse de pœnitentia loquitur sanctus Ignatius his verbis: *Consentaneum est deinceps resipiscere, & dum adhuc tempus habemus, ad Deum per pœnitentiam redire. Bene habet Deum & episcopum respicere. Qui honorat episcopum, a Deo honoratus est. Qui clam episcopo aliquid agit, Diabolo præstat obsequium*. Si presbyteri pœnitentiam administrare soliti fuissent, secus vero episcopi, ut hodierna habet consuetudo, nunquam juberet pœnitentes respicere solummodo episcopum, sed etiam presbyteros, quos toties memorat.

In epistola vero ad Philadelphenos hæc scribit s. martyr: *Omnibus igitur pœnitentibus remittit Deus, si resipiscant in unitatem Dei, & episcopi consessum*. Hoc autem in loco sermo est de publicis pœni-

tentibus, ut liquet ex illis verbis *episcopi consessum*, quibus significantur presbyteri, qui assidebant episcopo reconcilianti, aut publicam pœnitentiam imponenti, quam juris fuisse episcoporum hic primo animadvertere licet, & postea fuse demonstrabitur.

Inter canones vero vulgo Apostolicos, quos secundo labente & ineunte tertio a Christi nativitate sæculo constitutos esse tradit Guilielmus Beveregius in judicio canonum apostolicorum, de quo fides erit penes ipsum, canon 32., vel 40. in ordine versionis Dionysii Exigui, præclare confirmat presbyteros nihil absque speciali episcoporum commissione peragere in ecclesia potuisse: *Presbyteri & Diaconi absque sententia & voluntate episcopi nihil peragant: ipse enim est, cui concreditus fuit populus Domini, & a quo de animabus eorum ratio reposcetur.*

His addere juvat, quæ ex epistola Nicephori Chartophylacis sumuntur, (1) ubi hæc habentur: *Olim omnes oportebat ad ipsos pontifices accedere, suaque illis ac-*

(1) Tom. 12. Bibliot. Patrum.

culta prodere, & sic vel reconciliationem vel repudium ferre.

Ex quibus omnibus mihi persuasum est ab initio, & per aliquod temporis solos episcopos peccatorum confessiones audivisse, confessis pœnitentiam imposuisse, & salutari satisfactione mundatos reconciliasse, presbyteris vero munus hoc demandatum fuisse, vel in diuturniori duntaxat episcoporum absentia, vel in imminentis mortis periculo, vel demum quando huic oneri impares se existimabant episcopi; morum autem integritatem, pietatemque in Deum eximiam, quibus christiana religio floruit primis duobus præsertim sæculis, nec non fidelium paucitatem exemisse episcopos puto ex necessitate præficiendi sacerdotes pœnitentiæ. Non inficiabor tamen, quin in regionibus ab episcopali sede longe dissitis, præsertim in civitatibus, in quibus ob exiguum fidelium numerum non adhuc instituti erant antistites, forsan presbyter, cui animarum cura incumbebat, occultos pœnitentes ex episcopi, cui suberat, commissione Deo reconciliarit. Mos enim præficiendi sub episcoporum auctoritate presbyteros regimini ecclesiæ, quæ paucis admodum consta-

ret fidelibus, patet inprimis ex concilio Sardicensi canon. 7.: *Licentia vero danda non est ordinandi episcopum aut in vico aliquo, aut in modica civitate, cui sufficit unus presbyter*; quem confirmatum habes in concilio Carthaginensi vulgo secundo ann. 390., vel ut alii 397.: *Ut diœceses, quæ nunquam episcopos habuerunt, non habeant ... Et si accedente tempore, crescente fide Dei, populus multiplicatus desideraverit proprium habere rectorem, ejus videlicet voluntate, in cujus potestate est diœcesis constituta, habeat episcopum.*

Theologi in antiquo ecclesiæ usu confessionis secretæ, seu, ut ajunt, *auricularis* propugnando contra heterodoxos afferre solent testimonium ex Tertulliano de pœnit. c. 9. desumtum, quo dicitur pœnitentes *presbyteris advolvi & charis Dei adgeniculari*, illudque interpretantur, quasi ante sacerdotes volverentur, & peccata ad eorum genua accedentes confiterentur, ut veniam obtinerent. Sed falso prorsus. Loquitur enim ibi Tertullianus de pœnitentibus publicæ pœnitentiæ obnoxiis, qui, ut pacem assequerentur, prætereuntibus sacerdotibus cæterisque fidelibus precibus & lacrymis insistebant, volvebanturque, ut il-

lud integrum caput legenti patebit. Pro *charis* vero *Dei* clariss. Albaspinæus in notis ad Tertullianum intelligit martyres, quos *pœnitentes rogare solebant, ut se ecclesiæ redderent, & non nihil de pœnitentia indulgerent* (1). Cæterum Tertullianus clare indicat libr. de pudicitia solos episcopos confessiones excepisse; inquit enim: *Levioribus delictis* (lethalia tamen, quæ comparate ad mœchiam, homicidium, & idololatriam leviora vocabantur) *veniam ab episcopo consequi possunt*.

CAPUT II.

Quanam presbyteri fruerentur potestate circa sacramenti pœnitentiæ administrationem a Decii persecutione usque ad sæculum VIII.

Aucto fidelium numero, & Decii persecutione grassante, aucta etiam lapsorum multitudine, & ingravescentibus in eccle-

(1) Vide etiam adnotationem quintam ad caput 17. libr. 1. Rerum Liturgicarum vener. card. Bonæ.

sia malis, cum pœnitentiæ administrationis oneri se impares cognoscerent episcopi, alicubi citius, alibi tardius, secundum quod pietas & necessitas postulabat, presbyteros aliquos tanquam aptos eorum adjutores in hujusmodi rei societatem adsciverunt, quod vel ipsemet Binghamus inter heterodoxos de orig. antiq. christian. lib. 29. c. 5. §. 2. t. 8. confessus est.

Primum hac de re testimonium, saltem quod mihi occurrit, est Origenis hom. 2. in psalmum 37., qui e vivis excessit anno 254., quique forsan hanc homiliam habuit ante Decii persecutionem, quod argumento esset in Cæsarea aliisque regionibus, in quibus vitam degit Origenes, commissam fuisse presbyteris privatam resipiscentium reconciliationem forsan ante constitutam a nobis Decianæ persecutionis epocham; inquit enim: *Circumspice diligentius, cui debeas peccatum confiteri; proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere*. En optio datur confessarii. Non ergo solus episcopus tunc pœnitentes Deo reconciliabat. Deinde prosequitur: *Si intellexerit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari*

poterunt, & tu ipse facile sanari; multa hac deliberatione, & satis perito medici consilio procurandum est. En publica criminum confessio, quæ secundum periti confessarii judicium emittenda erat.

Scio Erasmum suspicatum fuisse citatam homiliam non esse Origenis, & ex heterodoxorum grege Rivetum & Dallæum ipsi aperte abnegare; sed critici communiter præsertim orthodoxi genuinum esse fetum Origenis propugnant, quod prolixe & erudite demonstrat clariss. Daniel Huetius libr. 3. Origenianorum, quem, si lubet, consulere poteris, cum instituti nostri non sit argumenta, quæ affert, hic recensere & expendere. Interim tamen animadverto, dato etiam, quod innuere videtur Erasmus, homiliam hanc esse Rufini, qui altero post Origenem sæculo vixit, præclarum adhuc nos habere testem potestatis presbyterorum circa pœnitentiæ sacramenti administrationem.

Pœnitentiarii institutio in ecclesia orientali alterum est potestatis presbyterorum monumentum. Post Decianam enim persecutionem presbyterum pœnitentiarium albo ecclesiastico adjectum fuisse narrat Socrates l. 5. historiæ cap. 19., *ut qui post bap-*

tissimum lapsi essent, coram presbytero ad eam rem constituto delicta sua confiterentur. Eandem institutionis pœnitentiarii causam affert Sozomenus libr. 7. his. cap. 16., sed tempus, quo institutus est, non adsignat; Socratis tamen opinio valde probabilis Henrico Valesio videtur, cum apud vetustiores, Justinum videlicet, Irenæum, Tertullianum, ac Cyprianum nulla hujus pœnitentiarii mentio fiat, cujus sententiam eruditi sequuntur. Cum vero de multiplici pœnitentiarii munere, nec non abolitione facta a Nectario episcopo Constantinopolitano, desinente sæculo quarto, late eruditissimi viri jam egerint, & nihilominus res adhuc sit tenebris involuta; ideo id innuisse satis sit ad demonstrandum demandatam fuisse quibusdam presbyteris sacramenti pœnitentiæ administrationem.

Quamvis tamen presbyteri post Decianam persecutionem pœnitentiæ sacramentum administrarent, ut vidimus: plenaria tamen ipsis non delegabatur facultas absolvendi quoscunque resipiscentes, quod innumeris propemodum monumentis posset ostendi. Sane criminum absolutio, quibus publica erat indicta pœnitentia, publice-

que condonabantur, non nisi ab episcopo impertiebatur. Hoc manifeste tradit inprimis auctor constitutionum apostolicarum, qui postquam proposuisset exemplum patris filium prodigum recipientis, hoc modo hortatur episcopos lib. 2. c. 41.: *Ita & tu facito episcope, ac quemadmodum ethnicum sacro lavacro tinctum in ecclesiam inducis post institutionem, sic & hunc per manuum impositionem (1), utpote pœniten-*

(1) Impositio manuum antiquissimus est pœnitentiæ publicæ ritus, quæque non una, sed triplex erat. Prima, cum rei ad pœnitentiam agendam admittebantur; de qua synodus Agathensis can. 15: *Pœnitentes tempore, quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum & cilicium super caput a sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur*. Altera non simplex, sed multiplex & diuturna, quæ toties repetebatur, quoties ab ecclesia post catechumenos ejiciebantur pœnitentes; de ea concilium Laodicenum can. 19, Dionysio interprete, hæc habet; *Quod oporteat seorsum primum post allocutiones episcoporum orationes super catechumenos celebrari; & postquam catechumeni egressi fuerint, super eos, qui sunt in pœnitentia, precem fieri. His etiam accedentibus ad manum sacerdotis, & discedentibus &c.* vel ut vertit Hervetus; *& cum ii sub manum accesserint*. De qua vide etiam s. Augustinum serm. 232. alias 144. Tertia, in qua pœnitentes, omnibus rite peractis, reconciliationem consequebantur; de qua concilium Carthaginense 4. c. 76.: *Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si su-*

tia purgatum, cunctis pro eo deprecantibus,

pervixerint. In privatis etiam reconciliationibus hunc ritum usitatum fuisse plurima monumenta demonstrant. Carthagin. 4. can. cit.: *Si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus eucharistia*. Hæc repetunt Capitular. l. 5. cap. 75. & 76. Burcardus l. 18. c. 10. Ivo p. 15. c. 8. Gratianus 26. q. 6. c. 8. Sanctus vero Augustinus manus impositionem sæpe pro sacramento pœnitentiæ sumit, l. 3. de baptismo contra Donatistas c. 16.: *Manus autem impositio non sicut baptismus repeti non potest*. Et l. 5. c. 20: *Quomodo Deus exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur*. Hanc fuisse perpetuam & ubique per 1250. annos constantissime observatam in reconciliationibus cærimoniam tradit Morinus de pœnit. l. 8. c. 15; ipsiusque abrogationis causam aliquibus scholasticis adscribit, *qui*, ut ipse ait, *hunc ritum abundantem docuerant, hincque occasionem sacerdotes multi eum, ut supervacaneum, negligendi sumserunt*. Sed post epocham a Morino constitutam perdurasse hanc cærimoniam plura tradunt concilia; & primo Beneventanum anni 1374. tit. 6. c. 10., quo jubetur sacerdos, ut *ponens manum super caput ipsius*, idest pœnitentis, *dicat*: *indulgentiam absolutionem &c.* & in fine ejusdem capitis additur: *Licet quidam dicant in sacramento pœnitentiæ non esse necessariam manus impositionem, quia non est ordinatum ad consequendam aliquam excellentiam gratiæ, sed remissionem peccatorum, &, ut asserunt, magis competeret crucis signatio, quia per sanguinem Christi remittuntur peccata, utrumque tamen fieri judicamus*. Et s. Carolus in concilio Mediolanensi 5. capite inscripto, *Quæ ad pœnitentiæ sacramentum pertinent*, hæc habet: *Quod in ecclesia antiqui instituti veterisque consuetudinis est, recte omnino*

restitue in antiqua pascua., eritque in loco baptismi impositio manuum. Et capite 14.: *Omnium itaque curam habeat episcopus... pœnitentibus autem venia concedenda*

servet, confessarius scilicet, *ut dum absolutionis formulam precesque adjunctas profert, super caput pœnitentis manum dexteram elevet*. Et in sacramentali Ambrosiano a se edito, seu actorum par. 4. p. 446. editionis Joannis Manfré 1754. hæc tradit: *Deinde caput operit: manu dextera super caput pœnitentis elevata & extensa absolvit hac formula &c.* Et in synodo celebrata apud Aquas Sextias ann. 1585. tit. *quæ ad sacramentum pœnitentiæ pertinent*, hæc habentur: *Quod in ecclesia antiqui instituti veterisque consuetudinis est, recte omnino servet, & dum absolutionis formulam precesque adjunctas profert, supra caput pœnitentis manum dexteram elevet a parte sua in confessionali, id, quod etiam cum mysterii significatione solet fieri*. Imo hujus antiquissimi & perpetui ritus vestigium reperitur etiam in hodierno rituali Romano, cujus rubricam eo libentius exscribam, quo negligentius, nescio qua ratione, communiter omittitur. Hæc igitur rituale Romanum de pœnit. sacram.: *Deinde dextera versus pœnitentem elevata dicit: indulgentiam, absolutionem &c.* Forte impositioni manus super pœnitentem substituta est simplex elevatio propter novam confessionalis sedis formam utroque a latere intectam, quæ manus impositionem super pœnitentem impedit, quamque duobus solum circiter ab hinc sæculis introductam esse existimat clariss. Josephus Catalanus in commentariis in rituale Romanum tit. 3. de pœnit. c. 2. Quidquid autem sit de hujus cærimoniæ abrogatione, saltem manus elevationem secundum ritualis Romani rubricam servandam esse, præter omne dubium esse arbitror.

est ... Agnosce igitur episcope dignitatem tuam, quod, sicut sortitus es potestatem ligandi, ita & solvendi. Ex his duobus aliisque quamplurimis testimoniis, quæ ex iisdem constitutionibus afferri possent, in quibus sermo de recipiendis & reconciliandis pœnitentibus solis episcopis semper dirigitur, plane liquet partes maximas pœnitentiæ fuisse episcoporum, eosque solos fuisse saltem publicæ reconciliationis ministros. Dixi saltem publicæ reconciliationis, cum nonnulli existiment in constitutionibus apostolicis sermonem duntaxat esse de publica pœnitentia.

Sed clarius adhuc in conciliorum canonibus publicæ pœnitentiæ administrationem penes solos episcopos esse asseritur, qui duplicis generis sunt. Alii solis episcopis vindicant jus recipiendi canonicorum criminum reos; non enim tam facile, ut animadvertit vener. cardinalis Bona rerum liturgicar. l. 1. c. 17. §. 2., *quibuslibet petentibus facultas concedi solebat agendi in ecclesia pœnitentiam, nisi prius constaret admissa flagitia eos serie detestari, & vere optare dignos facere pœnitentiæ fructus, ac mores emendare*; quo certior factus episcopus eos manuum imposi-

tione, aliisque adhibitis solitis ecclesiæ ritibus ac precibus inter pœnitentes admittebat, indicebatque stata pœnitendi tempora & leges. Alii vero canones solis episcopis eorundem pœnitentium reconciliationem, quæ solemni cum ritu in publica missa concedebatur, reservant. Omnes tamen episcoporum auctoritatem in publicæ pœnitentiæ administratione affirmant, & presbyteris, ne hanc sibi usurpent, interdicunt.

Concilium Illiberitanum anni circiter 302 (1) canone 32. hæc decernit: *Apud presbyterum, si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere, sed potius apud episcopum agat.* In hoc canone quis non videt omnem pœnitentiæ actionem sub immediata episco-

(1) De hujus concilii epocha tot, tamque diversa scripta sunt, ut forsan nihil certi definiri possit. Vide si lubet Natalem Alexandrum hist. eccles. sæcul. 3. dissert. 21. art. 1., Duguet dissert. 15. operis, cui titulus *Conferences Ecclesiastiques*, Mansi in nova canonum collectione, qui in eo concordant, ut ante Arelatense, quod habitum fuit anno 314., celebratum fuerit, & fortasse imminente Diocletiani & Maximiani persecutione, nisi cum recenti scriptore dicere velimus canones, qui sub nomine hujus concilii circumferuntur, esse quandam canonum antiquissimorum collectionem, quod tamen parum ad rem nostram refert.

pi auctoritate fuisse? Id vero potissimum notandum est, quod nullo discrimine assignato inter pœnitentes, qui agebant pœnitentiam ob canonicum crimen occultum, & inter eos, qui ob publicum, omnes ab episcopo pendere debere statuit, de quo postea.

Carthaginensia concilia publicæ pœnitentiæ administrationem penes solos episcopos esse pluries decreverunt, quæ licet Africanas tantummodo provincias spectarent: attamen, cum redacta fuerint in omnibus fere veteribus canonum collectionibus, horum canones in aliis etiam provinciis recepti sunt quasi generalium conciliorum constitutiones (1). Et inprimis Carthaginense vulgo secundum forsan celebratum anno 390; de quo vide Pagium ad annum 397. n. 26. & sequen., can. 3.: *Ab universis dictum est: chrismatis confectio & puellarum consecratio a presbyteris non fiant, vel reconciliare quemquam in publica missa presbytero non licere*. Immo in aliis quo-

(1) Vide clariss. Petrum de Marca dissert. de veteribus collectionibus, Berardum in canon. Gratiani p. 1. c. 15. & fratres Ballerinios tom. 3. append. ad opera S. Leonis de antiq. collect. Latinis p. 2. c. 3.

que conciliis prius habitis prohibitos fuisse presbyteros, ne pœnitentes absolvere auderent, citato canone testatus est Numidius episcopus his verbis: *Memini præteritis conciliis fuisse statutum, ut chrisma vel reconciliatio pœnitentium & puellarum consecratio a presbyteris non fiant*.

Carthaginense vero 3., quod celebratum fertur sub Aurelio episcopo Carthaginensi, Cæsario & Attico consulibus, sive ad annum 397., episcopis jus imponendi pœnitentias vindicat can. 31.: *Ut pœnitentibus secundum peccatorum differentiam episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur*.

Hic non abs re erit animadvertere olim in pœnitentiæ administratione tanquam maximi momenti negotium habitum fuisse id, quod modo tanquam minimum a plurimis reputatur, videlicet satisfactiones pœnitentibus indicere. Siquidem quid majus ac difficilius esse potest, quam peccata æstimare, & pro eorum qualitate pœnas cruciatusque decernere? Hinc relatus Carthaginensis canon aliique pœnitentiæ impositionem summis sacerdotibus servandam esse decreverunt. Quin vel ipsimet episcopi, quoties peccati nova species, aut nova

enormis circumstantia occurrebat, illi privata sententia pœnitentias statuere non audebant, sed, vel consultis insignioribus episcopis, præsertim summis pontificibus, vel celebratis conciliis, aliorum etiam judicio definiebant, quanam pœna crimen illud esset expiandum. Videre est in pluribus s. Cypriani & summorum pontificum epistolis conciliorumque actis sanctissimos ac doctissimos episcopos, emergente novo delicto hærentes, quibus cruciatibus esset plectendum, jubentesque interim reos apud se flere, Deum obsecrare, jejunia agere, donec ab episcopis responsum tulissent, vel convenientes deliberassent. Sane, quam sedula hæc esset diligentia, nisi eorum scripta legantur, vix aliquis suspicari posset. Hæc autem sollicitudo in curandis & eluendis per pœnitentiam criminibus non tribus aut quatuor sæculis duntaxat viguit, sed undecim & amplius perduravit.

Carthaginensi suprarelato canoni plane concinit concilium Andegavense anni 453. can. 12.: *Pœnitentiæ locus omnibus pateat, qui conversi errorem suum voluerint confiteri, quibus, perspecta qualitate peccati, secundum episcopi arbitrium erit venia largienda.*

Ne omnia tamen congeram, quæ suum episcopis erga publicos pœnitentes jus vindicant, utpote supervacanea, & plura aliis in locis referenda sint, prout occasio tulerit, huic capiti finem imponimus præclaro Hispalensis concilii anni 618. vel 619. canone 7. Delata fuit in hoc concilio querela de Agio Cordubensi episcopo, quod altarium & ecclesiarum consecrationes presbyteris commisisset. Concilium hujusmodi delegationes severe damnans, easque improbandas esse pluribus exemplis ostendens, inter alia hæc habet: *Nec licere eis* (presbyteris scilicet) *ecclesiam vel altarium consecrare, nec per impositionem manus fidelibus baptizatis vel conversis ab hæresi Paracletum Spiritum tradere .... sed nec publice quidem in missa quemquam pœnitentium reconciliare ..... Hæc enim omnia illicita esse presbyteris, quia pontificatus apicem non habent, atque solis debere episcopis auctoritate canonum præcipitur.* (1) Secundum igitur Hispalenses patres antiqui canones, quorum auctoritate ii nitun-

(1) His similia habentur in epistola 88. s. Leonis Magni, imo eadem verba sunt; at apocrypham esse

tur, quosque confirmaverunt, non solum vetuere presbyteros, ne pœnitentes in publica missa reconciliarent, sed etiam episcopos, ne ipsis hanc demandarent facultatem. An vero hæc intelligenda sint, etiam si necessitas id postularet, & episcopus legitime impeditus illam præstare non posset, malim ab aliis audire, quam dicere. Sed, ut aperiam quod sentio, nimis rigide acciperentur hi canones; si etiam maxima occurrente necessitate delegationem prohibitam esse existimares. Admodum enim verosimile videtur, cum exempli gratia dies publicis reconciliationibus præstitutus advenerit, & episcopus vel lecto decumberet, vel absens esset, aliquem primarium presbyterum hoc munere publice functum fuisse. Ita sane posterioribus sæculis res se habuit, ut videre est inter alia in capitular. libr. 7. num. 143.: *Statutum est in sanctis canonibus, ut nullus presbyter publice, inconsulto episcopo, reconciliare præsumat, nisi morte forte periclitantem*. Postea demon-

hanc epistolam tradunt Blondellus, clariss. Jacobus Sirmondus, & invictissime ostendit Quesnelius, cui consentiunt etiam clarissimi fratres Ballerinii t. 3. operum sancti Leonis col. 1268.

strato, hoc esse episcopi officium, additur: *Nullo namque tempore presbytero in publica missa pœnitentem reconciliare sine licentia episcopi concessum est*. Idem tradit Isaac Lingon. tit. 1. c. 10. Licebat ergo episcopis, quando opus erat, concedere presbyteris, ut in publica missa pœnitentes reconciliarent, & duntaxat, ne hoc passim sine necessitate facerent, prohibebantur.

Subdit autem memoratus canon: *Neque coram episcopo licere presbyteris baptisterium introire, nec præsente antistite infantem tingere, aut signare, nec pœnitentes sine præcepto episcopi sui reconciliare &c.* Hic agitur de privata reconciliatione, ut per se patet, cum hanc licitam presbyteris doceat præcipiente episcopo. Neque privata ergo pœnitentiæ sacramenti administratio libera erat presbyteris juxta hujus canonis sanctionem, nisi ex episcopi concessione.

CAPUT III.

Reconciliatio, quæ in publica missa habebatur, sacramentalis esse ostenditur.

Quamvis clar. Litta §. 80. & seq. ultro concedat, *quod norunt eruditi omnes*, ut inquit Martene de antiq. eccles. ritibus l. 1. c. 16. art. 5., scilicet ex veteri ecclesiæ disciplina publicos pœnitentes non prius ordinaria & communi lege absolutos fuisse, quam pœnitentiæ functi essent laboribus, & satisfactionem canonicam implevissent: nihilominus reconciliationem, de qua canones relati superiori capite loquuntur, fuisse duntaxat meram pœnitentiæ publicæ condonationem contendit, ut suam de indirecta solummodo peccatorum veteri reservatione adstrueret sententiam. Audiatur ipse citat. loco: *In terzo luogo si avverta, che non si soleva assolvere prima della sodisfazione, massimamente se pubblica. Da quì nasce l' indiretta riserva de' peccati de' primi secoli. Perchè essendo al vescovo riservata, o piuttosto essendo del vescovo proprio lo stabilire, e il perdonare*

la pubblica penitenza, nè costumandosi di sacramentalmente assolvere prima di tutta la sodisfazione, ne veniva in conseguenza, che per la riserva della censura rimaneva quindi in qualche modo riservato il peccato. Hinc §. sequenti illum Carthaginensis concilii canonem, quem supra attuli, in quo decernitur *reconciliare quemquam in publica missa presbyteris non licere*, de sola absolutione a censura interpretatur.

Verum in publica missa publicos pœnitentes absolutos fuisse a culpa, & de hac absolutione accipiendos esse canones prohibentes presbyteros, ne in publica missa reconcilient pœnitentes, imo purum, putumque esse commentum distinctionem illam quo ad antiquiora tempora inter absolutionem a peccatis & absolutionem a censura, ad sustinendam aliqua ratione absolutam & indefinitam facultatem, qua nunquam presbyteri potiti sunt, quoscunque pœnitentes reconciliandi excogitatam, cujus nullum in tota ecclesiastica illarum ætatum antiquitate vestigium occurrit, quod satis superque esset ad illud explodendum, extra omne dubium est, ut ex iis, quæ subdam, patebit.

Hoc inprimis nos docet auctor constitutionum apostolicarum, cujus testimonium superiori capite retulimus ad ostendendum publicos pœnitentes duntaxat ab episcopo fuisse reconciliatos. In eo enim hæc episcopalis reconciliatio æquiparatur baptismo, quo certe non solum pœna, sed etiam culpa remittitur; atque hanc in publica missa impertitam fuisse non obscure indicant ea verba, *cunctis pro eo deprecantibus*. Siquidem his significantur eæ preces, quibus universa plebs christiana obnixe rogabat episcopum, ut pœnitentes absolveret, & Deum, ut illos absolutione dignos efficeret (1). Hujus antiquissimæ consuetudinis reliquiæ in omnibus fere ritualibus & pontificalibus præsertim ante seculum 13. scriptis supersunt. In missa enim

(1) Vide hac de re Synesium epist. 67., qui scribit ab ecclesia segregasse Lamponianum quendam injuriarum convictum, *ipse vero facti pœnitens lacrymis scelus purgat, & supplex eum populus condonari sibi petit, sed ego in iis, quæ semel decreveram perseveravi, solvendi autem jus atque auctoritatem ad pontificiam sedem Alexandrinam rejeci*. De hoc more vide etiam Tertullianum de pœnit. c. 10., s. Pacianum in fine epistolæ 1. ad Sympronianum, clerum Romanum in epist. 30. inter Cypriani epistolas, & s. Cyprianum epist. 40., s. Ambrosium l. 1. de pœnit. cap. 15. &c.

fer. 5. in Cœna Domini leguntur plures orationes & psalmi, qui decantabantur a clero & populo pro pœnitentibus jamjam reconciliandis, quare sicuti preces, ita absolutionem in publica missa habitam fuisse suadent.

Sed clarius adhuc idipsum eruitur ex s. Ambrosio l. 2. de pœnit. c. 3., in quo hæc habet: *Quotiescunque peccata donantur, corporis ejus sacramentum sumimus, ut per sanguinem ejus fiat peccatorum remissio*. Hic sane s. Ambrosius de peccatorum remissione loquitur, ut quisque videt, hancque inter missarum solemnia haberi aperte tradit, cum dicat tunc sumi sanctissimum Christi corpus, quod secundum priscum ecclesiæ morem non nisi inter missarum solemnia fieri poterat. Licet enim, ut docet Tridentinum sess. 13. c. 6.: *consuetudo asservandi in sacrario sanctam eucharistiam adeo antiqua* sit, *ut eam sæculum etiam Nicæni concilii agnoverit*, non erat tamen sanis extra sacrificii actionem in ecclesia communicandi locus. Nam praxis hodiernæ dandi Christi corpus fidelibus non infirmis extra sacrificium in ecclesia occidentali vetustius monumentum non inveni rubrica missalis fratrum ordinis Prædicato-

rum anni 1254. (1), & certe compertum est eruditis priscis ecclesiæ sæculis usurpatam non esse. Cum igitur inquit s. Ambrosius, *quoties peccata donantur, toties corporis ejus sacramentum sumimus*, idem est ac si dixisset, toties pro remissione peccatorum sacrificium celebratur. Idipsum indicare videtur Optatus Milevitanus libr. 3.: *Inter vicina momenta, dum manum imponitis, & delicta donatis, mox ad altare conversi dominicam orationem prætermittere non potestis, & utique dicitis: Pater noster, qui es in cœlis.*

Hoc etiam evidentissime colligitur ex s. Eligii homiliis, quas in Cœna Domini pronunciavit de pœnitentium reconciliatione, in quibus apertissime loquitur de remissione peccatorum, non autem solius cen-

(1) Apud Le Brun t. 1. p. 277. edit. Veronensis anni 1735. hæc rubrica ita se habet; *Si adstet magna multitudo expectans finem missæ, poterit differri communio usque post missam, nisi in die Cœnæ, si visum fuerit priori*. Non inficiamur tamen antiquissimum morem domesticæ communionis, qua quisque domi asservatam eucharistiam sumebat, de quo vide Tertullianum l. 2. ad uxorem c. 5., Cyprianum libr. de lapsis, Basilium epistola 289., aliosque patres. Sed hoc nihil ad rem nostram pertinet. Consule hac de re clariss. Mabillonium in liturgia Gallicana lib. 1. cap. 9.

suræ condonatione. Inter alias homilia 8. sic alloquitur pœnitentes mox reconciliandos: *Licet fratres chariſſimi per divinam gratiam nobis collatam & per impoſitionem manuum epiſcopalium credatis, vos poſſe abſolvi a peccatorum veſtrorum vinculis, quia ſtatim reſtituemini ſacris altaribus: nullus tamen debet vitam ſuam negligere &c.* Cæteras homilias consule Bibliothec. patrum t. 12., quæ omnes de deliĉtorum absolutione in eadem sacrificii aĉtione concedenda mentionem faciunt.

Idipsum confirmare licet medii ævi clarissimo monumento, quo liquet etiam ea ætate sacramentalem fuisse publicam reconciliationem; hæc enim habentur in capitularibus l. 5. n. 127. edit. clariss. Baluzii: *Criminalia peccata multis jejuniis, & crebris manus ſacerdotum impoſitionibus, eorumq. ſupplicationibus juxta canonum ſtatuta placuit purgari, ita ut nemo ſine manus impoſitione epiſcopi, aut ejus juſſu alicujus presbyteri, ſe credat eſſe a ſuis facinoribus abſolutum. Non eſt mirandum, ſi abſolutio peccatorum per manus impoſitionem precibus fit ſacerdotum, cum Dominus in veteri lege ſuper caput hoſtiæ manum ſacerdotis præceperit imponi. Ete-*

nim sicut tunc per illam hostiam, ita nunc invocatione Sancti Spiritus, per quem sit remissio peccatorum per manus episcoporum, vel eorum auctoritate reliquorum sacerdotum impositione, supplicationibus eorum remittuntur peccata &c. Criminalia peccata ea erant, quæ publica pœnitentia castigabantur, eaque non nisi ab episcopis condonari posse apertissime traditur. Non ergo solius pœnitentiæ publicæ, sed peccati ipsius condonatio servata erat episcopis, quæ cum in publica missa celebraretur, ut supra vidimus, & aperte eruitur ex capitularibus; liquet in publica missa reconciliatos fuisse pœnitentes Deo, non autem tantummodo ecclesiæ.

Ex relatis ss. patrum testimoniis satis demonstratum puto *sacramentalem* fuisse reconciliationem, quæ inter missarum solemnia concedebatur; nihilominus tamen ad majorem hujus rei confirmationem persequi vacat quædam alia antiquitatis monumenta. Hoc apprime nos docent, quotquot sunt antiqui rituales libri, sive, ut vocant, sacramentaria, pontificalia, pœnitentialia &c., quæ reconciliationem pœnitentium in missa celebranda nobis exhibent; omnia enim criminum veniam annuntiant, quorum co-

dices licet exscripti sint duntaxat sæculis 8. & sequentibus, majorem tamen redolere antiquitatem in confesso est apud omnes. Ne omnia congeram, quæ, si lubet, consuli possunt apud Morinum in appendice operis de pœnitentia, & Martene de ecclesiæ ritibus l. 1. c. 6. art. 7., quædam ex Ordine Romano, utpote qui omnium, qui supersunt, vetustissimus, a venerabili cardinali Thomasio edito t. 6. p. 53. Romanæ editionis anni 1751., proferam, quæ apertissime hoc tradunt. Posteaquam diaconus in gremio ecclesiæ præsentavit pontifici pœnitentes reconciliandos inter missarum solemnia feriæ 5. in Cœna Domini, his verbis ipsum alloquitur: *Adest o venerabilis pontifex tempus acceptum, dies propitiationis divinæ & salutis humanæ ... Quamvis enim pietatis Dei nihil tempus vacet, nunc tamen & largior est per indulgentiam remissio peccatorum, & copiosior per gratiam adsumptio pœnitentium ... Redintegra in eo, apostolice pontifex, quidquid, diabolo suadente, corruptum est, & orationum tuarum patrocinantibus meritis per divinæ reconciliationis gratiam fac hominem proximum Deo, ut qui antea in suis sibi perversitatibus displicebat, nunc*

jam placere se Domino in regione vivorum, devicto mortis auctore, gratuletur. (I)

Deinde plures habentur orationes, quibus a peccatis absolutionem pœnitentibus deprecatur episcopus, ut moris erat priscis ecclesiæ sæculis formulis absolutione deprecatoriis uti (II), quarum unam aut alteram exscribam: *Deus humani generis benignissime conditor, & misericordissime reformator, qui hominem invidia diaboli ab æternitate dejectum, unici tui sanguine redemisti: vivifica itaque, quem tibi nullatenus mori desideras, & qui non derelinquis devium, adsume correptum. Moveant pietatem tuam, quæsumus Domine, hujus*

(I) In hac pulcherrima allocutione diaconi ad pontificem eruditi agnoscunt stylum Leonis I.; vide citati tomi cardinalis Thomasii præfationem §. 10., Jacobum Basnagium inter Calvini asseclas satis clarum *Histoire del' Eglise* livr. 16., quod ipsius antiquitatis non leve argumentum est.

(II) Vide Morinum de pœnitentia libr. 8. c. 8. & seq., quibus ostendit solummodo post centum & mille annos aliquid indicativum formulæ deprecatoriæ addi cœptum esse. Illi adhæserunt clarissimi Gaspar Juvenin de sacram. dissert. 6. c. 2. ar. 1. Du-Hamelius dissert. 3. cap. 2. Tournely q. 9. art. 1. Witasse q. 6. ar. 1. cardinalis Gotti q. 8. dub. 1. Edmundus Martene lib. 1. de antiquis ecclesiæ ritibus cap. 6. art. 5. Vanroy cap. 3. q. 3. Piette q. 9. &c.

famuli tui lacrymosa suspiria. Tu ejus medere vulneribus. Tu jacenti manum porrige salutarem: ne ecclesia tua aliqua sui corporis portione vastetur, nec grex tuus detrimentum sustineat, ne de familiæ tuæ damno inimicus exultet, ne renatum lavacro salutari mors secunda possideat. Tibi ergo Domine supplices preces, tibi fletum cordis effundimus, tu parce confitenti, ut in imminentes pœnas, sententiamque futuri judicii, te miserante, non incidat. Nesciat, quod terret in tenebris, quod stridet in flammis, atque ab erroris via ad iter reversus justitiæ nequaquam ultra novis vulneribus saucietur, sed integrum sit ei atque perpetuum, & quod gratia tua contulit, & quod misericordia reformavit. His similia habentur in aliis etiam orationibus: *Deus qui confitentium tibi corda purificas, & accusantes suas conscientias ab omni vinculo iniquitatis absolvis; da indulgentiam reis, & medicinam tribue vulneratis: ut percepta remissione omnium peccatorum, sincera deinceps devotione permaneant; & nullum redemptionis æternæ sustineant detrimentum. Per &c.* Si cæteros etiam sacramentorum libros quis legerit, qui omnes de peccatorum remissione loquuntur, haud dubium

esse poterit, quin inter missarum solemnia hisce orationibus veteres crediderint veram & sacramentalem absolutionem dari (1).

Præterea, si preces & ritus, qui pro reconciliandis pœnitentibus inter missarum solemnia in sacramentorum libris referuntur, solam respicerent absolutionem a censura, quandonam erunt sacramentali absolutione donati publici pœnitentes? Ubinam sunt sacramentalis absolutionis formulæ, & cærimoniæ? Quotquot enim exstant rituales libri ante sæculum undecimum exarati, si pervolutes, nihil aliud invenies, quam easdem fere orationes, quæ in Ordine Romano exhibentur. Easdem dico, quod omnes deprecativo modo compositæ, quod eundem propemodum reddunt sensum, quoad peccatorum remissionem pertinet, quod tandem plures de Ordine Romano in Gregorianum sacramentorum librum, & de illo

(1) Patet ex relato Ordine Romano, ut habetur etiam in notis ad eundem, pœnitentes reconciliatos fuisse in ea parte missæ, quæ inter collectas post cantum *Introitus & offertorium* interjacet: ex aliis vero sacramentorum libris insuper constat reconciliationem peractam esse, posteaquam diaconus evangelium legerat. Animadvertit tamen Morinus de pœnit. l. 8. c. 14. *variis sæculis hæc varia fuisse.*

in alios translatæ sunt retentis iisdem verbis. Quid plura? Compertum est eruditis, non solum publicos pœnitentes, sed etiam occultos pluries in missa, privata tamen, fuisse reconciliatos (1): & nihilominus eædem preces, quæ in publica missa, etiam in privata pro eorum reconciliatione recitabantur: imo eædem sunt, quæ publicam pœnitentium reconciliationem spectant, ac quæ privatam & extra missam; sed privatim non dicebantur omnes illæ orationes, nisi tempus & occasio id permitteret, alias duæ tantum vel tres pro sacerdotis arbitrio, ut adnotant aliqui pœnitentiales. Dicendum ne igitur erit a censura solutos fuisse etiam eos, qui innodati non erant, occultos videlicet pœnitentes? Præterea quis unquam credet prætermissum esse in omnibus ritualibus libris id, quod præcipuum erat, nempe absolutionem a peccatis, accessoria vero, scilicet pœnitentiæ condonationem, sive ritus & orationes, quæ ad rei substantiam non pertinebant, descripta fuisse? Idem ritualium voluminum

(1) Vide Morinum de pœn. libr. 8. c. 14.; Chardon in hist. sacram. de pœnit. l. 2. c. 33.

condendorum mos in hunc usque diem continuatur, jubenturque presbyteri ad eorum præscriptum administrare sacramenta; quis autem sacramentorum formulas omissas esse affirmare audebit? Ut igitur clariss. Littæ credamus, dicamusque reconciliationem, quæ in publica missa impertiebatur, non esse sacramentalem absolutionem, ostendere prius opus erit, quandonam pœnitentes publici reconciliabantur, quibusnam ritibus & formulis, quo peragebatur hæc reconciliatio. Eorum enim, quæ nusquam apparent, & quæ non sunt, jurisprudentium more, eadem ratio habenda est.

Verum sacramentalem esse absolutionem illam, quæ in ritualibus libris continebatur, plane liquet etiam ex libro 5. capitularium c. 116. edit. clariss. Baluzii: *Post peractam vero secundum canonicam institutionem pœnitentiam occulte vel manifeste, canonice reconcilietur, & manus ei cum orationibus, quæ in sacramentario ad reconciliandum pœnitentem continentur, imponatur, ut divinis precibus & miserationibus absolutus a suis facinoribus esse mereatur &c.* Quid clarius desiderari potest?

Nonnulli tamen etiam ex recentioribus scholasticis eo, quod verbis, ut ajunt,

deprecativis formulam reconciliationis, quæ inter missarum solemnia celebrabatur, expressam deprehendunt, illam a pœna canonica, nunquam a culpa absolutionem esse contendunt, existimantes actum judicialem, qualis est absolutio a peccatis, nonnisi formulis indicativis vel imperativis exerceri posse. Sed pace horum scholasticorum nihil mihi absurdius videtur. Nonne actus judicialis est etiam condonatio pœnæ canonicæ, seu, ut vocant, *censuræ*? Cur quæso hæc, non illa deprecativa formula dari potest? Imo, si orationibus, quibus episcopus petit a Deo peccatoribus veniam, constare nequit sacramentalis absolutio, licet episcopus non nisi in Dei nomine peccata remittat, sive, ut inquit s. Thomas formulæ indicativæ propugnator in 4. senten. distinc. 18. q. 1. art. 3. q. 1. ad primum, *operationem Dei remittentis ostendat*, quomodonam constare poterit precibus Deo fusis formula absolutionis a pœnis canonicis, seu censuris, quæ utpote ab episcopis inflictæ, ab ipsismet episcopis omnino relaxari debent? Hæc sane quomodo consistere possint, non video. Cæterum, si perpendantur., & simul conferantur omnes ritus, omnesque cærimoniæ &

preces, præsertim vero diaconi oratio, & postulationes populi & cleri, quibus rogabant episcopum, ut reis peccata condonaret, plane colligetur verum actum judicialem fieri, atque formula deprecativa duntaxat uti, ut modeste suam sententiam ferat, & imperiosæ absolutionis jactantiam vitet ea ferme ratione, qua in Romanæ reipublicæ decretis, & senatus consultis, nec non sententiis judicum verbum *videri* adhibebatur; unde inquit Cicero acad. c. 47. sub finem: *Majores nostri voluerunt, quæ jurati judices cognovissent, ut ea non esse facta, sed ut videri pronunciarent (1).* Verum quid plura? In quibusdam ritualibus libris, in quibus preces & ritus describuntur reconciliationis feriæ quintæ in Cœna Domini, actum judicialem comprehendi etiam ad instar indicativæ formulæ animadvertit clariss. Berti de theol. discip. l 34. p. 2. c. 7., ut in pontificali Egberti, in Ordine ecclesiæ Aquensis, & in pont-

(1) Vide Brissonium de formulis Romanis, qui libr. 2. hæc habet: *Nil absolute aut pro imperio consulibus prætoribusve mandare, præcipereve senatus solebat, sed precariis potius, quam imperativis verbis, & sub hac demum exceptione: si videretur.*

ficali Anglicano, quos consule apud Martene citato loco.

Non dissimulandum tamen easdem ferme, saltem quoad sensum pertinet, fuisse orationes tam in receptione, quam in absolutione pœnitentium; imo aliquoties in aliquo pœnitentiali libro reperitur oratio pro imponenda pœnitentia, quæ in alio pro reconciliandis pœnitentibus usurpabatur, quod aliquibus, & præsertim iis, qui ecclesiæ disciplinam non ex veterum scriptis, sed ex anticipatis opinionibus metiuntur, maximi momenti videri potest, mihi tamen nullum facessit negotium. Nam semper ecclesia reis animi conversionem, morum mutationem, delictorumque veniam a Deo postulare consuevit. Hinc non solum in impositione pœnitentiæ, sed etiam in toto substrationis tempore in singulis prope synaxibus, sicut manus genuflexis pœnitentibus imponebantur, ut supra vidimus, ita oratio semper conjuncta fuit, qua hæc omnia eisdem deprecabatur episcopus (1). Ergo ne toties reconciliatos fuisse

(1) En quæ de precibus supra pœnitentes factis in substrationis ordine habentur libr. 8. c. 8. constitutio-

dicendum erit, quoties hujusmodi preces ab episcopo fundebantur? Nequaquam, sed tunc solum, cum ad hunc finem ab episcopo pronunciabantur. Sacramenta enim non conficiuntur ex sola pronunciatione formulæ super materiam, ut ajunt theologi, sed insuper requiritur, ut cum instituto & intentione faciendi id, quod intendit ecclesia, sive in proposito nostro, reconciliandi pœnitentes proferatur. Siquidem pluries in missæ sacrificio caput undecimum epistolæ primæ ad Corinthios, aut evangeliorum illa verba leguntur, quibus continetur formula consecrationis. At quis unquam affirmabit horum prolatione

num apostolicarum: *Intente universi pro fratribus nostris in pœnitentia versantibus precemur, ut misericordiæ studiosus Deus illis ostendat viam pœnitentiæ; admittat eorum palinodiam, seu retractationem, atque confessionem, & conterat Satanam sub pedibus eorum velociter, liberetque illos a laqueo Diaboli . . . condonet vero illis omnia delicta &c.* Deinde capite sequenti refert orationem episcopi, quam super eos faciebat: *Omnipotens æterne Deus . . . . respice in eos, qui cervicem animæ & corporis inclinaverunt tibi, quia non vis mortem peccatoris, sed pœnitentiam, ut avertat se a via sua mala, & vivat. Qui Ninivitarum pœnitentiam recepisti . . . . ipse nunc quoque accipe supplicum tuorum pœnitentiam . . . . & restitue illos sanctæ ecclesiæ tuæ in priorem dignitatem ac honorem &c.*

verborum præveniri & anticipari consecrationem? Quamobrem vero? Nisi quia minister tunc ea non profert, ut sacramentum conficiat; ergo neque cum orationes recitantur, quibus veniam reis episcopus petit a Deo in impositione pœnitentiæ, eos reconciliasse dicendum erit, sed solum pro ipsis a Deo veram resipiscentiam, ejusque misericordiam deprecatum esse.

Plane idipsum confirmat, quod ex Tolosano codice refert Morinus de pœnit. l. 9. cap. 32., cujus verba exscribam: *Postquam* Tolosanus codex *descripsit pœnitentium in porta ecclesiæ moram, eorum in ecclesiam introitum, varias a clero cantatas antiphonas ad indulgentiam peccatorum iis obtinendam, integrum matutinum officium pro iis recitatum, missam pro iis celebratam, cujus non modo orationes omnes, sed etiam præfatio, & quæ infra actionem oratio dicitur, conjunctim remissionem peccatorum a Deo vehementer exposcunt, testatur tamen, his omnibus nondum esse reconciliatos*, hoc officio missæ, (*sunt verba codicis*) solemniter adimpleto, revertuntur tam pontifex cum clero, quam populi cum pœnitentibus, jam quidem in ecclesiam introductis, sed adhuc

in solemniori officio missæ ejusdem diei reconciliationem suam præstolantibus &c.: *Quando igitur, inquies, reconciliati censentur? Postquam alterius missæ maxime solemnis, evangelio lecto, eos archidiaconus pontifici sistit, & de eorum anteacta legitime pœnitentia spopondit, longisque litaniis ad gratiam S. Spiritus iis alliciendam præmissis, septem orationes super ipsos pronuntiavit.* Tunc pontifex dicet super eos has orationes ad reconciliandum; *istisque orationibus titulus imponitur:* orationes ad reconciliandos pœnitentes. *Post orationes pronunciatas quid tum de iis censet ecclesia?* Orationibus expletis dicit diaconus: surgite de terra reconciliati Deo expectantes contrito & humili corde horam, quando ad percipiendum corporis & sanguinis ejus mysterium admittamini. *Admittuntur autem in fine ejusdem missæ, & statim post hæc diaconi verba cum clero & cætera plebe oblationes altari offerunt.* Reconciliatio *enim perfecta fuerat post evangelii lectionem, sed ante offertorium.*

Quamobrem autem priore missa prioribus orationibus absolutionem petentibus, absolutus non est? Nulla alia ratio vide-

tur, quam quod hunc integrum ritum ad pœnitentes reconciliandos ecclesia instituit, nec intendit prius eos absolvere, quam completus fuerit. Sacerdotes enim Dei sunt instrumenta, & cum ipso sacramentis operantur, non ut creaturæ insensibiles aut brutæ, verum ut rationales voluntate & arbitrio utentes.

Majorem difficultatem facere potest id, quod tradit Morinus de duplici reconciliatione. Statuit enim l. *6.* de pœnit. c. 21. post Novatianorum hæresim duplicem pœnitentium publicorum reconciliationem invectam fuisse, primam, eaque a peccatis absolutio erat, concessam dicit, cum pœnitentes consistentiam ingrederentur, secundam, cum ad participationem *boni & perfecti*, ut ajebant veteres, scilicet ss. corporis Christi transirent; quam opinionem eruditi plures amplexati sunt. Verum, cum utramque nonnisi ab episcopo datam fuisse doceat citato loco, præter quam in mortis discrimine, imo etiam inter missarum solemnia, ut liquet præsertim ex libro 8. c. 18., ubi inquit, *omnes libri rituales editi & non editi, quos hactenus legi, actionem illam* (idest absolutionem a peccatis) *nobis exhibent omnes*

inter missarum solemnia, ita ut & hic ritus, & missæ sacrificium unica & continuata actione peragantur; nullum nobis facessit negotium. Sane quæ supra retulimus testimonia de reconciliatione in sacrificio missæ impertita, apertissime de absolutione a peccatis loquuntur, ut vidimus, & iidem canones, quos ad hanc duplicem adstruendam reconciliationem congerit Morinus, quam tamen nullo pacto evincunt aut suadent, ostendunt utramque sub immediata episcoporum auctoritate fuisse, ipsisque reservatam.

Cæterum si de hac duplicis reconciliationis opinione meam dicere sententiam licet, falsa mihi prorsus videtur. Ubinam enim sunt ritus hujus duplicis reconciliationis? Ubinam preces? Ubinam formulæ? Inter tot namque ritualium librorum excerpta, quæ pœnitentium reconciliationem continent, a Morino & Martene edita, nunquam offendere fas est in titulis aliquid, quo assignentur cærimoniæ & orationes pro prima reconciliatione, aliæ pro secunda, sed tantummodo *reconciliatio pœnitentis*, *reconciliatio pœnitentis feria quinta in Cœna Domini*, *reconciliatio pœnitentis ad mortem*, & his similia, quarum

omnium reconciliationum preces, quoad sensum spectat, eædem ferme sunt, ut supra etiam diximus.

Deinde unicam fuisse reconciliationem non obscure indicant s. Ambrosius, & Leo Magnus, & Gennadius. Primi testimonium supra retulimus, quod tamen integrum nunc afferam. Inquit igitur ille de pœnit. l. 2. c. 3.: *Quotiescunque peccata donantur, corporis ejus sacramentum sumimus, ut per sanguinem ejus fiat peccatorum remissio. Ergo evidentissime mandatum est etiam gravissimi criminis reis, si ex toto corde & manifesta confessione peccati pœnitentiam gerant, sacramenti cœlestis refundendam esse gratiam*; & s. Leo epistola ad Theodorum Forojuliensem: *Mediator Dei & hominum Christus Jesus hanc præpositis ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent*. Gennadius vero l. de dogmatibus eccles. c. 53. *Quem mortalia crimina post baptismum commissa premunt, hortor prius publica pœnitentia satisfacere, & ita sacerdotis judicio reconciliatum communioni sociari, si vult*

non ad judicium & condemnationem sui eucharistiam percipere. Hæc testimonia, ni fallor, significare videntur tum pœnitentes a peccatis absolvi, cum corporis Christi participes fiunt; proinde commentitiam esse reconciliationem in ingressu consistentiæ a Morino excogitatam.

Plurima etiam refert Morinus monumenta citato capite, ut suam de duplici reconciliatione sententiam confirmet; verum, si quid probant, ostendunt moribundos pœnitentes, qui in infirmitate absolutionem a peccatis consecuti sunt, si convalescant, denuo in pœnitentium ordine se sistere debere, & reconciliari. Sed hæc duplicis reconciliationis praxis circa moribundos nequit extendi ad omnes pœnitentes. Quis enim ignorat eos, qui in mortis discrimine constituti sunt, instabili quodam animi impetu ac perturbatione magis, quam consilio ac constanti voluntatis adhæsione operari ita, ut multoties dubia fiat eorum conversio, proindeque merito reconciliatio iteranda jubeatur, quod de sanis dici nequit. Audiatur, quid senserint patres de hujusmodi reconciliationibus. Romanus clerus in epist. 31. inter epistolas Cypriani: *Cum spes vivendi secundum ho-*

minem nulla subsliterit, *ita demum caute & sollicite subveniri* statuimus, *Deo ipso sciente*, *quid de talibus faciat*, *& qualiter judicii sui examinet pondera*. S. Augustinus, seu auctor sermonis inter Augustinianos olim 57. de tempore: *Parum est peccatorem pœnitere*, *nisi pœnitentiam peregerit*. *Ad emendanda enim crimina vox pœnitentis sola non sufficit*. *Nam in satisfactione ingentium peccatorum non verba tantum*, *sed opera quæruntur*. *Datur quidem etiam in extremis pœnitentia*, *quia non potest denegari*; *sed auctores tamen esse non possumus*, *quod*, *qui sic petierit*, *mereatur absolvi*; & libr. 50. homiliarum homilia 41.: *Qui egerit veraciter pœnitentiam*, *& solutus fuerit a ligamento*, *quo erat obstrictus*, *& a Christi corpore separatus*, *& bene post pœnitentiam vixerit* ... *post reconciliationem quomodocunque defunctus fuerit*, *ad Deum vadit* ... *Si quis autem positus in ultima necessitate ægritudinis suæ voluerit accipere pœnitentiam*, *& accipit*, *& mox reconciliatur* .... *non præsumimus*, *quia bene hinc exit*.

Non me præterit tamen canon tertius concilii Arausicani primi anni 441., qui, si verbo tenus solum spectetur, prorsus du-

plicem fuisse absolutionem, unam a peccatis, a pœna alteram, reconciliatoriam unam, non reconciliatoriam alteram tradere videtur. Hæc sunt verba canonis: *Qui recedunt de corpore, pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicari, quod morientis sufficit consolationi secundum definitiones patrum, qui hujusmodi communionem congruenter viaticum nominarunt. Quod si supervixerint, stent in ordine pœnitentium, & ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione percipiant.*

Verum lectores fugere non debet loqui concilium Arausicanum de pœnitentibus moribundis, quos duplici absolutione reconciliatos fuisse, & quidem utraque sacramentali, jam supra monuimus; prima quippe impertiebatur, dum in vitæ periculo versabantur, quæ ideo a concilio non reconciliatoria dicitur, quod eos non liberabat ab agenda pœnitentia (1), si ex

(1) Ægrotos pœnitentes in morbo reconciliatos, si supervixerint, inter consistentes subsistere decernit concilium Nicænum can. 13., sed postmodum ii ad eam stationem relegabantur, in qua morbus eos deprehende-

morbo confirmarentur; secunda, recuperata sanitate & exantlatis pœnitentiæ laboribus præstabatur, quam ideo concilium vocat reconciliatoriam, quod eos absolvebat etiam ab omni pœna, & expeditum jus dabat ad sacram synaxim. Sed hæc ecclesiæ praxis circa ægrotos, non video, quomodo extendi possit ad sanos. Cæterum eadem manus impositione reconciliatos fuisse pœnitentes ægrotos, qua sanos, apertissime tradit concilium Carthaginense vulgo quartum can. 76.: *Si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus eucharistia: si supervixerit ... subdatur statutis pœnitentiæ legibus &c.*

A Gratiano etiam caus. 11. quæst. 3. can. 106. nomine Arausicani concilii refertur canon, qui formam describit reconciliationis ab excommunicatione. Sed hoc nihil ad rem pertinet; hæc enim reconciliatio prorsus differt a reconciliatione pu-

rat, vel si pœnitentiam ægroti tantum suscepissent, ad eam stationem, quæ crimini secundum canones erat debita. Vide Gregorium Nyssenum in epist. canonica ad Letojum, concilium Epaonense can. 36., capitul. Regum Francorum l. 5. c. 61

blicorum pœnitentium, de qua loquimur, quamque sacramentalem esse ostendimus. Deinde compertum est eruditis falso canonem illum Arausicano concilio adscriptum esse, illamque formulam reconciliationis vetustiorem non esse Reginone, cujus verosimiliter ipse auctor fuit, de quo vide inter alios Berardum in canones Gratiani p. 1. cap. 19.

Ex his igitur plane liquet unicam fuisse reconciliationem, eaque pœnitentes publicos absolutos fuisse non solum a pœna, sed potissimum a culpa, & inter missarum solemnia impertitam fuisse, proindeque canones prohibentes presbyteros, ne quemquam in publica missa reconciliarent, de absolutione sacramentali accipiendos esse, quod erat demonstrandum.

CAPUT IV.

De presbyterorum potestate circa morituros pœnitentes septem prioribus sæculis.

Quoniam morientibus, præsertim iis, qui sani pœnitentiam susceperunt,

absolutio ut plurimum impertiebatur; ita presbyteris usque ab ecclesiæ primordiis concessum fuit, ut eos reconcilarent, dummodo absentes essent episcopi, & tempus eos consulendi non suppeteret. Sane hujus sacerdotalis potestatis circa moribundos lapsos, & solicitudinis ecclesiæ, ne quis sine reconciliatione migraret e vita, usque ad tempora Cypriani, videlicet immediate post Decii persecutionem, præclarissimum habetur testimonium Romani cleri suo orbati pastore in epistola 31. inter epistolas Cypriani: *Cujus temperamenti moderamen nos hic tenere quærentes, diu & quidem multi, & quidem cum quibusdam episcopis vicinis nobis, & appropinquantibus, & quos ex aliis provinciis longe positis persecutionis istius* (Decianæ scilicet) *ardor ejecerat, ante constitutionem episcopi nihil innovandum putavimus, sed lapsorum curam mediocriter temperandam esse credimus; ut interim, dum episcopus dari a Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum, qui moras possunt dilationis sustinere, causa teneatur, eorum autem, quorum vitæ suæ finem urgens exitus dilationem non potest ferre, acta pœnitentia, & professa frequenter suorum detestatione factorum, si*

lacrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis ac vere pœnitentis animi signa prodiderint, cum spes vivendi secundum hominem nulla subsliterit, ita demum caute & sollicite subveniri &c.

Verum clarius adhuc asseritur in Africanis conciliis presbyterorum potestas circa publicos pœnitentes moribundos; Carthaginense enim tertium can. 32. publicam pœnitentium reconciliationem reservans episcopis, decrevit, ut non nisi explorato eorum consensu pœnitentem absolverent, dummodo episcoporum absentia & urgens vitæ discrimen licentiæ petendæ tempus non intercluderet: *ut presbyter, inconsulto episcopo, non reconciliet pœnitentem, nisi absente episcopo, & necessitate cogente.* Poterant ergo presbyteri, si deerat episcopus, & vitæ periculum instaret, ægrotos pœnitentes reconciliare.

Non idem tamen dicendum de eucharistica communione, quippe expressis verbis episcoporum consensus exigitur etiam pro infirmis moribundis in concilio Carthaginensi secundo paulo ante tertium celebrato: canone enim 4. hæc habet: *Si quisquam in periculo constitutus se reconciliari divinis altaribus*, idest reddi eucha-

risticæ mensæ, *petierit, si episcopus absens fuerit; debet utique presbyter consulere episcopum, & sic periclitantem ejus præcepto reconciliare* (I). Quæ certe argumento sunt ipsosmet episcopos consuevisse reconciliare etiam ægrotos pœnitentes publicos, nec non sacrosancto Christi corpore reficere. Non inficiabimur tamen episcopos in eorum absentia, vel in pagis longe dissitis ab urbe presbyteris demandasse potestatem reconciliandi morituros pœnitentes, eosque sacra eucharistia donandi. De quo vide Van Espen in scholiis in canones Nicænos can. 13., Tillemontium nota 17. in concilium Nicænum, Dionysium episcopum Alexandrinum in epist. ad Fabium apud Eusebium l. 6. c. 33. (II).

Animadvertendum tamen est, quod sicut in exordiis christianæ religionis tantum erat pietatis studium, tantum impro-

(I) Hunc canonem accipiendum esse de eucharistica communione, non obscure indicant ea verba: *se reconciliari divinis altaribus petierit*, ut optime animadvertit Van Espen in commentariis ad secundam part. Gratiani causa 26.

(II) Hæc epistola in dubium revocatur ab aliquibus. Consule clariss. Valesium in suis ad hunc locum notis, & Albaspinæum in suis observationibus.

bitatis odium, ut præsertim mœchis, homicidis, & idololatris quidam episcopi omnem prorsus spem veniæ, omnemque pœnitentiam denegarent (1); ita presbyteri prohibiti erant, ne eos in fine vitæ reconciliarent. *Certe qui antiqua ecclesiæ instituta*, inquit Martene de eccles. ritibus l. 1. c. 16. art. 1., *ex hodierno usu metiri solet, haud dubium non sine aliquo inhumanitatis sensu fieri id potuisse existimabit. Verum in antiqua ecclesiæ disciplina versatis longe aliam mentem futuram confidimus*. Deinde clariss. auctor nonnulla profert, quæ apprime mea quidem sententia idipsum evincunt: nihilominus clarissimus Litta §. 84. contendit adulteros, homicidas, & idololatras omnes sacramentali absolutione semper donatos fuisse, & duntaxat eis denegatam fuisse ecclesiæ pacem & eucharisticam communionem. En ipsius verba: *Tre erano i peccati, dopo i*

(1) Vide hac de re Ægidium Gabrielem in suo specimine morali part. 2., Natalem Alexandrum histor. eccles. sæculi 3. p. 1. dissert. 7., Gabrielem Albaspinæum observ. eccl. l. 2. obser. 8. q. 11., Christianum Lupum p. 5. schol. in can. conc. dissert. de pecc. satisf. ac indulg. c. 1., Dionysium Petavium animadver. ad Epiphanii libr. de hæres. hæres. 59., aliosque.

quali non si ammettevano alla penitenza i peccatori neppure in morte, cioè l' idolatria, l' omicidio, e l' adulterio. Tertulliano infatti divenuto già seguace degli errori di Montano, si lagna (libr. de pudicitia) *acremente del decreto di Zefirino papa, con cui aveva stabilito, che gli adulteri fossero ammessi alla penitenza. Molto si affaticano gli eruditi per salvare il concilio Illiberitano dalla taccia di crudele, e quasi di Novaziano, perchè prescrisse, che non si ammettessero i colpevoli de' suddetti peccati alla penitenza neppure in morte. Ma il cardinal Bona* (Rerum Liturgicar. l. 1. c. 17.) *e il cardinal d' Aguirre* (tom. 1. conc. Hisp.) *ed altri molti dimostrano, che que' PP. non hanno per nessun conto proibita l' assoluzione sacramentale di tali colpe, ma sibbene la grazia di esser ammessi alla penitenza pubblica, il che debbesi molto avvertire leggendo gli antichi in questa materia, mentre per lo più per penitenza e assoluzione intendono la penitenza esterna e pubblica, e il di lei perdono.*

Hujus opinionis, quam clariss. Litta statuit tanquam canonem certum & generalem præ oculis semper habendum, dum

veterum scripta leguntur, probationes desiderantur, idque satis esset ad eam omnino profligandam. Affirmat quidem eminentissimos cardinales Bonam & Aguirre argumentis ostendere concilium Illiberitanum non prohibuisse, ut horum criminum rei a peccatis absolverentur; at nihilominus hoc admodum dubiæ saltem quæstionis esse nemo inficiabitur, cum eruditi ac theologi quamplurimi & ante & post cardinales Bonam & Aguirre contrarium docuerint, videlicet patres Illiberitanos, nec non alios episcopos idololatris, homicidis, aliisque, etiam in fine vitæ constitutis, denegasse una cum ecclesiæ pace sacramentalem absolutionem, ut inter alios clarissimi Jacobus Sirmundus histor. pœnitentiæ publicæ c. 1., Petavius in notis ad Epiphanium de hæresibus, Martene citat. loco, Duguet libr., cui titulus *Conferences Ecclesiastiques* dissert. 16., Witasse de pœnit. q. 6., Juvenin in commentar. historiæ dogmaticæ de sacramentis q. 6. de pœnit. art. 2., Josephus Catalanus in commentar. in Rituale Romanum tit. 3. de pœnit. c. 1. Benedicto XIV. dicatis, aliique. Deinde si cardinalis Aguirre, cujus opus nunquam habere mihi licuit, eadem

tradit, quæ & cardinalis Bona, sane hujus sententiæ probationes adhuc in desiderio erunt. En ea, quæ de hac re habet citat. loco cardinalis Bona: *A patribus concilii Illiberitani ſancitum fuit, ut nec quidem in fine daretur eis communio; & ex nonnullis epiſtolis Cypriani patet hunc uſum tunc viguiſſe in eccleſia Africana: alii ex adverſo removere ab eccleſia etiam illius temporis hunc feralem rigorem ſatagunt, nec ullum unquam in fine vitæ vere pœnitentem fuiſſe excluſum aſſerunt a venia & reconciliatione. Et quidem ſi veniæ nomine ſacramentalem duntaxat a peccatis abſolutionem intelligant, non eſt hæc ſententia improbabilis, ſed plenam reconciliationem, quæ in publicarum precum participatione & in jure offerendi munera in ſynaxi, ac percipiendæ euchariſtiæ conſiſtebat, illis conceſſam nego, & hic ſaltem eſt ſenſus antiquorum canonum ſtatuentium, ut nec in fine eis communio concederetur*. Hæ sunt demonstrationes citatæ, hæc monumenta opinionis asserentis patres Illiberitanos neminem a sacramentali absolutione rejecisse.

Nec eſt, quod eoſdem ſanctiſſimos patres Illiberitanos, ut verbis utar Baronii

ad annum Christi 305., *quis jure arguere possit*, licet absolutionem a peccatis eos denegasse quibusdam dicatur, *cum multa accidere potuissent, quæ nobis sunt penitus incomperta, in quibus austeriora illa lapsis medicamenta oportuerit adhibere*. Sane hujus concilii disciplina nihil commune habet cum Novatianorum hæresi. Ideo enim Novatiani inficiabantur dandam esse ab ecclesia absolutionem lapsis, quod hoc crimen irremissibile esse ostenderent, & ad illorum remissionem extendere se ecclesiæ claves non posse (1). At patres Illiberitani nihil hujusmodi decernunt; imo cum canone 46. mandassent, ut, si quis a fide diutissime apostata vixisset, si tamen idololatra non fuit, peracta pœnitentia, reciperetur, apertissime profitentur ecclesiæ auctoritatem se extendere ad ea etiam crimina, quæ contra fidei virtutem perpetrantur, & eo tantum consilio con-

(1) Natalis Alexander histor. eccles. sæcul. 3. c. 3. §. 3. de Novatiani erroribus hæc tradit: *In eo autem positus fuit palmaris Novatiani error, ut negaret ecclesiam lapsis in persecutione, idest sacrificatis & libellaticis indulgere posse, deinde cæteris etiam criminibus post baptismum commissis nullam ab ea tribui posse veniam assereret*.

stituisse lapsos & homicidas aliosque non esse reconciliandos, ut, atrocioribus intentatis minis, ab hujusmodi flagitiis longius fideles absterrerent, vel, ut inquit Augustinus epist. 185. c. 19. n. 45. in causa simili, *non desperatione veniæ, sed rigore disciplinæ*; derelinquebantur enim divinæ misericordiæ, a qua veræ contritionis subsidio peccatorum remissionem consequi poterant.

Sed, quidquid sit de hac opinione, nec non de canonum Illiberitanorum sententia, sane parum temporis viguit in ecclesia hæc disciplina, quippe post medium tantum sæculum secundum cœpisse videtur, & certe tempore Cypriani abrogata fuit nedum in Africa, sed etiam Romæ, si ibi unquam obtinuit. Plurimi enim auctores contendunt ab ecclesia Romana continuo pacem datam esse omnibus, si dum sani essent, pœnitentiam suscepissent, sicuti etiam ab ecclesia orientali, aliisque celeberrimis, ut tradunt Natalis Alexander histor. eccles. dissert. 7. in sæcul. 3., auctor præfationis operibus s. Cypriani præmissæ, aliique.

Cæterum canonicorum criminum reis in supremo vitæ discrimine constitutis absolu-

tionem sacramentalem primis ecclesiæ sæculis denegatam fuisse, si in infirmitate duntaxat pœnitentiam postulassent, proindeque presbyteros, nec non episcopos prohibitos fuisse, ne eos reconciliarent, mihi extra omne dubium videtur, quidquid in contrarium dicat clariss. Litta. Testem hujus disciplinæ inprimis habemus s. Cyprianum epist. 52. ad Antonianum, qua scripsit: *Idcirco frater charissime pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde & manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communicationis & pacis, si in infirmitate atque in periculo cœperint deprecari: quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum*. Vocibus *communicationis & pacis* in causa pœnitentiæ passim veteres intellexisse sacramentalem absolutionem una cum eucharistica communione, præter dubium est. Hoc autem in loco sermonem esse non de sola eucharistia, sed etiam de sacramentali absolutione, ex ipso etiam verborum contextu manifeste apparet. Ideo enim denegandam esse iis, qui pœniten-

tiam primo in infirmitate postulabant, *communicationem & pacem* tradit, quod non delicti pœnitentia duci, sed mortis metu compelli ad eam petendam existimet, quod non solum eucharistiæ, sed etiam pœnitentiæ sacramento reddit indignos. Deinde saltem tempore Cypriani non sejungebatur eucharistica communio ab absolutione a peccatis, ut liquet potissimum ex ejusdem epistolis 10. 11. & 54. Ergo, negata eucharistia, negatam quoque fuisse sacramentalem absolutionem dicendum erit.

Deinde hanc epistolam scripsit Antoniano, ut in fidei unitate ipsum confirmaret, & ne ad Novatiani errores deflecteret, qui pacem lapsis dandam esse abnuebat, & nomine *pacis*, ut supra diximus, sacramentalem absolutionem intelligebat. Ipse autem Cyprianus eandem pacem se denegasse tradit iis, qui duntaxat in infirmitate reconciliari postulabant. Itaque si verbis *pacis & communicationis* in hac epistola, dum loquitur de Novatiani errore, sacramentalis absolutio intelligitur; cur quæso de eadem accipiendus non est, cum eandem negandam esse doceat iis, qui in infirmitatis discrimine constituti illam tunc primum efflagitabant.

Hoc celebre Cypriani testimonium eludere conantur nonnulli theologi. Quamvis negare non audeant vocibus *communicationis & pacis* pluries Cyprianum & veteres intellexisse etiam sacramentalem absolutionem; quoniam optime norunt, quod, si id inficiantur, sibi adimunt potiora traditionis monumenta, quibus existentiam hujus sacramenti contra hæreticos demonstrent; attamen non semper de sacramentali absolutione accipiendas esse affirmant; sed aliquoties canonicam tantummodo reconciliationem cum ecclesia una cum eucharistica communione significare contendunt. Frustra repones eis canonicam reconciliationem esse absolutionem a peccatis, proindeque commentitiam esse hanc distinctionem; quia si non ita distinxeris, rem absurdissimam affingere Cypriano abipsis accusaberis, nempe eum dedisse diaconis facultatem absolvendi sacramentaliter a peccatis; non enim aliis utitur verbis, quam consuetis pacis & communicationis, quando epistola 12. diaconis potestatem dedit reconciliandi lapsos, qui a martyribus libellos receperunt. En ipsius verba: *Qui libellos a martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari*

possint, si in incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra, apud presbyterum quemcunque præsentem, vel si presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint; ut, manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt.

At si nulla diaconorum in hac epistola mentio fieret, puto nunquam futurum fuisse, ut dubium suboriretur de absolutione sacramentali in ea sermonem esse. Siquidem lapsi non adhuc a peccatis absoluti erant, cum nondum reconciliationem consecuti essent. Quoties igitur Cyprianus eos pace donari permittit, dum in fine vitæ constituti sunt, quis unquam inficias iverit, de absolutione sacramentali accipiendum esse? At quia diaconos nominat, eisque concedere videtur eandem potestatem, quam presbyteris fecit in absentia episcopi, scilicet morituros lapsos reconciliandi, negandum erit, quod luce forsan clarius est, nempe de absolutione sacramentali Cyprianum loqui? Minime profecto. Aliæ enim præsto sunt rationes, quibus Cypriani men-

tem interpretemur juxta catholicum dogma, quod docet solos sacerdotes administrare posse pœnitentiæ sacramentum, quin vis testimonio inferatur.

Et primo Morinus libr. 8. c. 23. contendit permissum fuisse a Cypriano, nec non a pluribus aliis latinis patribus, & quidem multorum sæculorum spatio, diaconis confessionem in extremo periculo audire, & pœnitentes reconciliare, non quasi eos potestatem habuisse crederent patres sacramentali absolutione pœnitentes donandi, sed urgente necessitate & absente episcopo & presbytero, absolvendi ministerium in diaconos tum esse diffundendum. Hæc autem absolutio a diaconis præstita, inquit in recognitione operis, *non potest aliud esse, quam cærimonia, sive sacramentale aliquod a quibusdam ecclesiis, in absentia veri sacramenti, & illius adipiscendi impotentia institutum, & a catholica ecclesia tunc non improbatum, quo morientis aut gravissime periclitantis interior dispositio excitabatur, & incalescebat, atque a Deo precibus ecclesiæ sacramenti effectum pœnitens promerebatur, non nuda majoris excommunicationis absolutio, ut eodem loco* (scilicet libr. 8. c. 23. & 24.)

ex s. Cypriani verbis videmur nobis perspicue explicasse. Sane diaconos urgente necessitate confessiones excepisse indubiæ fidei est, ut testantur tot monumenta a Morino citato cap. allata, & Martene l. 1. c. 6. art. 6. de eccles. ritibus. Qua data Morini opinione, Cypriani testimonium nullam amplius facit difficultatem; quoniam utique absolutionem a peccatis *communicationis & pacis* vocibus intellexisse Cyprianum existimandum erit, & quidem sacramentalem, si a presbyteris impertiretur, non sacramentalem, si a diaconis, utpote non habentibus potestatem dimittendi peccata, licet in hisce circumstantiis vices presbyterorum implerent.

Quod si hæc, quæ ex sententia Morini protulimus de absolutione a diaconis præstita, non arrident, dicendum erit, Cyprianum, quamvis eisdem verbis designaverit ministerium diaconi & presbyteri, accipiendum tamen esse accomodate ad potestatem utriusque, ut scilicet presbyter daret morituris pœnitentibus absolutionem a peccatis, & eucharisticam communionem, diaconus vero posteaquam in eis perfectam contritionem excitaverit, Christi corpore duntaxat participes faceret. Etsi enim,

cum diaconorum meminit Cyprianus, eorum potestatem non coarctavit ad solam eucharistiam, in hypothesi, quod nunquam diaconi a peccatis pœnitentes absolverent, facile de sola eucharistia poteris interpretari. Etenim si exploratum semper fuit in ecclesia, ut contendunt, qui Morini sententiæ accedere detrectant, nunquam diaconos absolvisse morituros pœnitentes, jure ac merito dici potest inutilem operam ponere noluisse Cyprianum in explicando enucleatius diaconorum ministerio in reconciliatione lapsorum. In extremo autem periculo, in quo non est copia sacerdotis, contritionem, quam pœnitentes lacrymis, precibusque testabantur, sufficientem fuisse, ut dari eis posset eucharistia, liquet ex historia Serapionis, qui & ipse lapsus, atque in pœnitentiæ laboribus occumbens, eucharistica donatus est communione, quamvis absolutione sacramentali reconciliatus non fuisset. Vide s. Dionysium Alexandrinum in epistola ad Fabium apud Eusebium l. 6. historiæ ecclesiast. cap. 44.

Hanc autem praxim sumendi Christi corpus, etiam si quis lethalis criminis sibi conscius sit, dummodo necessitas urgeat, & actum perfectæ contritionis eliciat, confir-

mare videtur etiam concilium Tridentinum sess. 13. c. 7., quo hæc habet: *Ecclesiastica consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram eucharistiam accedere debeat; quod a christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris: quod si, necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur*. Ex quibus colligitur contra ecclesiæ morem non fuisse, ut qui lethalis peccati reus esset, eucharistica communione particeps fieret sine reconciliatione, si necessitas urgeret. Quare nihil obstat, quin Cypriani testimonium, seu verba illa *communicationis & pacis* hoc quoque in loco de sacramentali absolutione accipiantur, quemadmodum etiam ita intelligenda esse docuimus in epistola ad Antonianum, in qua graviorum criminum reis in vitæ discrimine constitutis, si in infirmitate duntaxat veniam petiissent, *communicationem & pacem* denegandam esse tradit, & sicuti in

causa pœnitentiæ præsertim apud Cyprianum semper hunc referunt sensum, si bene memini.

Cypriano plane consonat concilium Arelatense primum can. ultimo anni 314.: *De his, qui apostatant, & nunquam se ad ecclesiam repræsentant, ne quidem pœnitentiam agere quærunt, & postea in infirmitate correpti petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, nisi revaluerint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ*. *Communio* in hoc canone eundem refert sensum, ac communicatio & pax in relato Cypriani testimonio, proindeque revera hos apostatas sacramentali absolutione donatos non fuisse præter dubium est; quod vel ipsamet causa indicata denegandæ communionis plane persuadet; ideo enim non esse reconciliandos dicit, quod conversionis potius simulatio, quam vera conversio habeatur ea, quæ ab apostatis in fine vitæ monstratur.

Eandem ecclesiæ veteris consuetudinem nos docet Innocentius papa primus epist. 3. c. 2., quæ est ad Exuperium (1).

(1) Innocentius pontificiam sedem ascendit anno

Quæsierat Exuperius, referente ipso Innocentio, *quid de his observari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ & voluptatibus dediti, in extremo vitæ suæ pœnitentiam simul & reconciliationem communionis exposcunt*. Duplici responsione solvit quæsitum Innocentius, & secundum veterem ecclesiæ disciplinam, & secundum recentiorem. Secundum veterem disciplinam his verbis: *De his observatio prior durior, posterior, interveniente misericordia, inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur*. Concessio pœnitentiæ nihil aliud est, quam admissio pœnitentis ad pœnitentiam peragendam, ut per se patet, & ex contextu testimonii liquet. Severioris autem hujus disciplinæ subjungit rationem: *Nam cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, negata merito communio est, concessa pœnitentia, ne totum negaretur, & durio-*

401. vel 402., tenuitque usque ad annum 416., vel 417.

rem remissionem fecit temporis ratio. Communio igitur, & reconciliatio secundum s. Innocentium eadem res erat, quam utique iis denegandam esse tradit.

Sed clarius adhuc quæstionem hanc dirimit Innocentius mitiorem posteriorem praxim describens: *Sed postquam Dominus noster pacem ecclesiis suis reddidit, jam depulso terrore, communionem dari obeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam, quasi viaticum profecturis, & ne Novatiani hæretici negantis veniam asperitatem & duritiem subsequi videamur*. Quænam erat, quæso, Novatianorum durities, & hæresis? Nonne circa absolutionem sacramentalem? utpote qui negabant ecclesiæ potestatem crimina post baptismum commissa remittendi. Si igitur cessatis persecutionibus placuit, ut communio obeuntibus daretur, *ne Novatianorum duritiem subsequi videamur*, ut inquit Innocentius, evidens est olim denegatam fuisse absolutionem a peccatis. *Quasi viaticum* autem nominat reconciliationem, quia de morituris loquitur, quibus æternitatis iter peragendum est. Viaticum enim nihil aliud significat, quam itineris subsidium; unde inquit Cicero de senectute c. 18.: *Potest*

quidquam esse absurdius, quam quo minus viæ restat, eo plus viatici quærere? In hoc vero sensu, scilicet pro reconciliatione moribundis impertienda, alias a patribus hanc vocem usurpatam fuisse nos monent clariss. Albaspinæus & Christianus Lupus, uterque in can. 13. concilii Nicæni.

Denique Innocentius quæsito ab Exuperio proposito respondit consuetudinem, quæ jam obtinuerat, proponens, quæque in hunc usque diem ab universa ecclesia observatur, inquiens: *Tribuetur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines ejusmodi vel in supremis suis permittente Salvatore nostro a perpetuo exitio vindicentur*. Hæc communio igitur, quæ olim denegabatur, & concedi tradit Innocentius, a perpetuo exitio vindicabat, quod sane non nisi sacramentali absolutioni convenit.

Ne quis vero unquam viguisse in ecclesia hanc disciplinam existimet ob maximam, quam præsefert, severitatem, sciendum est, hoc idem observatum fuisse in Gallia ad annum usque 1396. in criminum reos morte damnatos, quibus sacramentum pœnitentiæ denegabatur, & in hunc usque diem, vel saltem sæculo pro-

xime præterito eucharistiæ participes non fiebant, ut tradit Morinus de pœnit. l. 10. c. 1. Martene de ecclesiæ ritibus l. 1. c. 6. art. 1. n. 6.

Clarissimus Litta, ut ostendat nemini unquam denegatam fuisse sacramentalem absolutionem, sed solam cum ecclesia reconciliationem, refert §. 87. decretum Julii I. (causa 26. q. 6. apud Gratianum) & caput 2. epistolæ Cœlestini I. ad episcopos per Viennensem & Narbonensem provincias constitutos. Julii decretum non exscribam, quod tanquam apocryphum communiter ab eruditis rejicitur, ut videre est apud Van Espen in commentariis in Gratianum ad hunc locum, & apud Berardum in canones Gratiani t. 1. p. 2. c. 31. Cœlestini vero testimonium hoc modo se habet apud Littam: *Agnovimus pœnitentiam morientibus denegari . . . Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non posset ad se quovis tempore concurrenti succurrere . . . Quid hoc, rogo, est aliud, quam morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere?*

Sed sciendum est Cœlestinum primum,

tertium fuisse post Innocentium primum summum pontificem. Supra diximus tempore Innocentii primi jam fere ubique abrogatum fuisse morem denegandæ reconciliationis; imo viguisse solummodo tempore, quo crebræ erant persecutiones, liquet ex relato Innocentii testimonio. Quare ex hac Cœlestini epistola nihil aliud inferri potest, quam adhuc perseverasse in provinciis Narbonensi & Viennensi priscam consuetudinem, quam utique jure ac merito improbat ipse, utpote quæ nimis severa videretur, & undique obsoleta esset; & quemadmodum extra omne dubium, est Cœlestinum probro objecisse iis negationem sacramentalis absolutionis, ut vel ipse Litta fatetur, ita evidentissime colligitur olim ne quidem a peccatis absolutos fuisse eos, qui non reconciliabantur in extremis. Ex quibus omnibus patet, per aliquod tempus presbyteros, nec non etiam episcopos prohibitos fuisse, ne eos, qui in mortis periculo constituti erant, si tunc primum solummodo pœnitentiam peterent, sacramentali absolutione donarent.

Alia similis modo esset agitanda implicatissima quæstio, utrum scilicet iis, qui, acta publice pœnitentia, nova cri-

mina perpetrabant, omnis aditus pœnitentiæ ab ecclesia præcluderetur. Certum quippe est antiquitus semel tantum pœnitentiam publicam canonicorum criminum post baptisma commissorum concessam fuisse (1), quam disciplinam usque ad sæculum septimum in ecclesia occidentali verosimiliter perseverasse tradit Morinus de pœnit. l. 5. c. 28. Inquirendum igitur esset, an ii saltem in fine vitæ veniam & absolutionem consequerentur. Sed quoniam fuse lateque hanc rem pertractant citati auctores, ideo breviter meam aperiam sententiam.

Duplex esse potest propositæ quæstionis sensus. Primo, an qui post actam semel de gravioribus peccatis publicam pœnitentiam, si in alia lethalia quidem, sed non obnoxia pœnitentiæ publicæ incidissent, saltem in fine vitæ reconciliarentur: quod extra omnem dubitationis aleam positum est, quodque constabit ex epistola mox

(1) Vide clariss. Albaspinæum libr. 2. observ. 5., Morinum de pœnit. l. 5. c. 26. & seq., Petavium in animadversionibus in s. Epiphanium ad hæresim 50., Natalem Alexandrum hist. eccles. sæculi 3. dissert. 15., Martene de antiq. eccles. ritibus l. 1. c. 6. art. 1., Catalanum in Ritual. Romanum de sacram. pœnit. tit. 3. c. 1., aliosq. communiter.

referenda Siricii papæ; imo eos, dum viverent admissos fuisse ad pœnitentiam secreto perficiendam docet Tournely de sacram. pœnit. q. 8. art. 5.

Secundo, an iis, qui post publicam pœnitentiam in eadem, aut etiam graviora, quæ publica pœnitentia expianda erant, relaberentur crimina, sacramentalis absolutio impertiretur, dum in mortis discrimine constituti essent. Hinc inde disputant eruditi; sed mihi verosimilius videtur tunc demum privatim reconciliatos fuisse. Hoc enim tradere existimo Siricium summum pontificem in epistola prima ad Himerium Tarraconensem episcopum, qui ipsum consuluerat, quomodo se gerere deberet erga eos, *qui, acta pœnitentia, tanquam canes ac sues ad vomitus pristinos & ad volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludricas voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuo appetivere concubitus; quorum professam incontinentiam generati post absolutionem filii prodiderunt*. Sic quippe respondet illi Siricius: *De quibus, quia jam suffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut sola intra ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacræ mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur,*

intersint; a Dominicæ autem mensæ convivio segregentur, ut hac saltem districtione correpti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscœnis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad Dominum cœperint proficisci per communionis gratiam volumus subveniri. Quam formam & circa mulieres, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus. Ii igitur, qui peracta publice pœnitentia relapsi fuerant, imo etiam in eodem criminum luto sese volutaverant, imminente morte absolutionis munere quasi viatico donabantur; quod quidem in absentia episcoporum presbyteros præstitisse præter dubium est.

CAPUT V.

De peccatis publicæ pœnitentiæ obnoxiis, quorum proinde absolutio servata erat episcopis ante sæculum octavum.

Nonnulli queruntur, ut jam diximus, non solum voce, sed editis libellis ut plu-

rimum seditiosis, de hodierna episcopalium reservationum praxi, quasi presbyterorum auctoritati injuria. Non diffiteor in quibusdam catalogis casuum reservatorum forsan plus æquo restringi sacerdotalem jurisdictionem. Præter omne tamen dubium est, perpetuo in ecclesia limitatam fuisse presbyterorum auctoritatem, ita, ut quædam crimina episcopis servata fuerint condonanda; quod supra demonstravimus de illis, quæ publicæ erant pœnitentiæ subjecta. Modo igitur inquirendum, quænam hæc fuerint.

In horum criminum serie colligenda pœnitentialibus libris, quos clarissimi Antonius Augustinus in sua juris canonici epitome, Labbeus tom. 6. conciliorum, Baluzius tom. 7. Miscellaneor., Muratorius tom. 5. Antiquitat. Italic., aliique ediderunt, non utar, quod sunt sæculo sexto posteriores, & mutationes aliquas passi sunt medii ævi disciplinæ aptatas, sed illam potius ex syncronis ac integris sanctorum patrum sententiis desumam, conciliorumque canonibus. Plena de his cognitio dari fortasse nequiverit, cum plurima monumenta perierint; atque utinam ille saltem extaret libellus, quem accuratissime

conscripserat Cyprianus, ut ipsemet testatur in epist. 52. ad Antonianum, quo pœnæ singulis peccatis secundum uniuscujusque circumstantias præscriptæ erant; nihilo tamen minus hac de re generalis quædam, quam satis futuram esse existimo, notio habebitur. Hoc autem advertere oportet, me allaturum plurimos provincialium conciliorum canones, & sanctorum patrum testimonia, quæ non nisi particulares respiciunt ecclesias: ex iis tamen facile inferri poterit, quinam generatim fuerit ecclesiæ mos ac disciplina in subjiciendis pœnitentiæ publicæ peccatis, & consequenter, quam limitata fuerit tunc temporis presbyterorum jurisdictio.

Tria potissimum erant crimina in universa ecclesia publicæ pœnitentiæ addicta, idololatria, homicidium, & adulterium; ut legere est apud s. Pacianum, Gregorium Nyssenum epist. ad Letojum, aliosque patres, & in conciliorum canonibus, quorum testimonia omittam, ne videar in re perspicua testes non necessarios afferre. Hæc tamen peccata, ut vocant *canonica*, in plures species dividebantur, quarum singulis statuta respondebat pœna.

Verum plura etiam alia crimina erant

publicæ pœnitentiæ subjecta, quæ nullam cum idololatria homicidio & adulterio conjunctionem habent, ut aperte tradit inter alios s. Augustinus pluribus in locis, & præsertim homil. ultima ex L., & de civitate Dei l. 21. c. 27., ideo ea ipsa investigabimus ac recensebimus, præeuntibus tamen Binghamo originum antiquit. christian. l. 16., & Selvagio in instit. antiquit. christian. l. 4. Nonnulla fortasse me effugient, sed ea, quæ commemorabo, satis erunt ad ostendendam propositionis falsitatem, quam quidam nuperrimus scriptor Gallus edidit, nulla alia videlicet fuisse antiquitus crimina publicæ pœnitentiæ obnoxia, nisi idololatriam, homicidium, & adulterium.

Sciendum insuper est, quod licet quibusdam delictis stata pœnitentiæ tempora non decernantur in conciliorum canonibus vel patrum testimoniis, quæ exscribentur; attamen, cum anathemate plectantur, etiam publicæ pœnitentiæ subjecta erant, jurisque proinde episcopalis; ut liquet ex epistola Augustini 265.: *Agunt etiam homines pœnitentiam, si post baptismum ita peccaverint, ut excommunicari, & postea reconciliari mereantur, sicut agunt in omni-*

bus ecclesiis illi, qui proprie pœnitentes appellantur.

Itaque ab idololatria exordiemur. Inter idololatras non solum *sacrificati*, & *turificati*, ut nuncupabantur ii, qui incensa offerebant idolis, & sacrificiorum fiebant participes, sed etiam *libellatici* recensebantur, idest ii, qui fidem Christi palam profiteri erubescentes, ac trepidantes, ethnicis magistratibus, numerata pecunia, libellos dabant, vel ab illis accipiebant, ut se a satellitum furore tuerentur, & a faciendis publice sacrificiis immunes essent (1). Horum tria potissimum erant genera. Primum genus eorum, qui magistratibus se non esse christianos affirmabant, quos s. Cyprianus in libro præsertim de lapsis in eadem classe cum *sacrificatis* collocat. Alterum eorum, qui

(1) Hoc novum lapsorum genus, sæviente Decii persecutione in Africa emersit, quod materiam eruditorum hominum conjecturis præstitit: quæ mihi verosimilia videntur, transcribam. Qui plura desiderant, consulant vitam s. Cypriani §. 6., quæ præcedit illius opera in editione Baluzii, Binghamum origin. lib. 6., Tillemontium t. 5. p. 451., Natalem Alexandrum histor. eccles. sæculi tertii, Selvagium in instit, antiquit. christ. l. 4. c. 3. §. 2.

vel amicum ethnicum, vel servum mittebant, ut fidem eorum nomine abnegans, libellum securitatis ipsis procuraret a magistratu. Hos æque ac primos condemnat clerus Romanus in epistola ad Cyprianum inter Cypriani epistolas 30. & s. Petrus Alexandrinus can. 6. & 7. servo unius anni, domino trium annorum pœnitentiam injungit. Tertium denique erat illorum, qui christianos esse se profitentes a judice libellum securitatis obtinebant, ne ad immolandum idolis, vel ne magistratibus se sistere cogerentur. De his s. Cyprianus specialiter loquitur epistola 52. ad Antonianum, & puniendos esse affirmat, licet non exponat distincte, quisnam pœnitentiæ terminus eis præfiniendus sit. De libellaticis autem generatim hæc habet epistola 11. ad presbyteros & diaconos Romæ degentes s. Cyprianus: *Item cum comperissem eos, qui sacrilegis contractibus manus suas atque ora maculassent, vel nefandis libellis nihilominus conscientiam polluissent, exambire ad martyres passim, confessores quoque importuna & gratiosa deprecatione corrumpere, ut sine ullo discrimine atque examine singulorum darentur quotidie libellorum millia contra evan-*

gelii legem &c. Cur quæso libellatici a confessoribus implorabant litteras vel libellos ? Nisi quod eorum intercessione a publicis pœnis liberarentur ab episcopis.

His non absimiles, de quibus Petrus Alexandrinus canone 6. : *Iis autem, qui simularunt, sicut & David, qui se epilepticum fingebat, ne moreretur, quamvis revera epilepticus non esset, & non nude negationem inscripserunt, sed in multis angustiis, tanquam pueri consilio & prudentia præditi, inter pueros insipientes inimicorum insidias ludificati sunt, velut qui altaria pervaserint, vel tanquam qui chirographum dederint, vel qui pro se ethnicos immiserunt (etiamsi nonnulli eorum, qui confessi sunt, ut audivi, aliquibus eorum cesserunt) : quoniam maxima cautione vitarunt, ne ipsi suis manibus ignem ferrent, & dæmones impuros suffirent; cum propter ignorantiam eos id fecisse non compertum est, eis semestre imponetur in pœnitentia &c.*

Item idololatriæ adjutores, ut christiani, qui flaminis, seu sacerdotii ethnici officium assumebant, etsi idolis non sacrificassent, concilium Illiberitanum perpetuæ pœnitentiæ damnavit canone 3.: *Flamines, qui non immolaverint, sed munus tantum*

dederint eo, quod se a funestis abstinuerunt sacrificiis, placuit in fine eis præstari communionem, acta tamen legitima pœnitentia (1). Si vero nec sacrificia offerebant, nec propriis sumptibus edebant spectacula, sed tantum coronam gestabant, ut moris erat in hisce solemnitatibus, duorum annorum pœnitentiam decretam habes canone 55. ejusdem concilii.

Scenici quoque histriones, aurigæ inter idololatriæ adjutores adnumerabantur, & projiciebantur ab ecclesia, publicæque erant pœnitentiæ obnoxii, ut liquet ex canone 62. concilii Illiberitani, & can. 5. Arelatensis. Verum non ob id solum, quod

(1) Hunc canonem perperam Natalis Alexander hist. eccles. dissert. 5. prop. 1. aliique interpretantur de libellaticis, explicantes ea verba *munus dederint*, quasi præsidi pecuniam solvissent flamines, ut a sacrificandi necessitate eriperentur. Munus enim dare hoc in loco significat propriis sumptibus populo exhibere ludos, spectacula, oblectamenta, quo in sensu usurpatum invenies sæpe apud Latinos; Cicero pro Sexto: *Maximum populi judicium universo consessu gladiatorio declaratum est, erat enim munus Scipionis dignum & eo ipso, & illo Q. Metello, cui dabatur.* Flamines autem per provincias sicut Romæ ædiles dabant populo munera; quod maximum erat crimen, cum, ut inquit Lactantius, *ludorum celebrationes festa deorum* sint.

in scenicis ludis Deorum cultus foveretur, sed quia *theatrum proprie sacrarium Veneris est*, ut utar verbis Tertulliani de spectaculis c. 10., damnabantur mimi, & fideles prohibebantur, ne interessent. Hinc s. Joannes Chrysostomus, ut cæteros patres omittam, homil. 15. ad populum Antiochenum ait: *Plerique putant non constare, quod in theatra ascendere peccatum sit: sed infinita vitæ mala solet inferre. Etenim in theatris immoratio fornicationem, petulantiam, & omnem incontinentiam peperit*. Sanctus vero Cyprianus ob eandem causam epistola 61. ad Euchratium etiam histrioni, qui a theatro ipse cessaverat, sed artem theatricam docebat, negandam communionem decernit, eo quod, ait, *cum in lege prohibeantur viri induere muliebrem vestem, & maledicti ejusmodi judicentur, quanto majoris est criminis non tantum muliebria indumenta accipere, sed & gestus quoque turpes & molles, & muliebres magisterio impudicæ artis exprimere?*

Fideles vero si, abjecto Dominicæ diei cultu, ad theatra pergerent, excommunicandos decrevit concilium quartum Carthaginense can. 88. Hinc etiam impe-

ratores Theodosii senior, & junior interdixerunt festis diebus scenicos ludos, ut liquet ex codice Theodosiano libr. 5. titulo de spectaculis lege 2. & lege 5.

Quædam alia delicta idololatriæ aliquo modo affinia grandi pœnitentiæ subjecta nobis offerunt concilia & patres. Illiberitanum, ut animadvertit Albaspinæus, ad publicam pœnitentiam condemnat can. 59. christianos, qui ex curiositate sacrificiis gentilium intererant; Ancyranum can. 7., *Qui in festo ethnico in loco gentilibus deputato convivati sunt, & proprios cibos secum attulerunt, & comederunt; ..... cum biennio substrati fuerint &c.* & canone 23., Isidoro Mercatore interprete, eos, *qui auguria vel auspicia sive somnia, vel divinationes quaslibet secundum morem gentilium observant, aut in domos suas hujusmodi homines introducunt* (qui pythonici aut pythonissæ appellabantur) *in exquirendis aliquibus arte malefica, aut ut domos suas lustrent &c.* Tertullianus de idololatria cap. 7., Ambrosius epist. 30. ad Valentinum juniorem, constitutiones vulgo apostolicæ l. 8. c. 32. ab ecclesia arcendos docent templorum, idolorum, & omnium rerum, quæ ad idolorum cultum

conferebant, artifices, vel eadem promoventes vel faventes.

Hic aliqua subdere fas est de pœnis, quas in hæreticos & schismaticos decrevit ecclesia. Ac primo generatim contra omnes hæreticos sanxit decem pœnitentiæ annos concilium Illiberitanum can. 22., eosque longæ pœnitentiæ subjecisse antiquitus ecclesiam affirmat concilium Agathense can. 60., vel potius, ut erudite animadvertit Jacobus Sirmondus, Epaonense can. 29., quam tamen annorum multitudinem diminuit. Schismaticos vero rebaptizantes, & rebaptizatos non nisi *sub longa pœnitentiæ satisfactione admittendos* scribit Innocentius I. epist. 2. c. 8., & Felix III. in synodica epist. 7. c. 3., quæ ex concilio Romano missa est ad universos episcopos', quæque diutius Romæ detenta consignata est nota consulari ann. 488., ut observat Binius. Concilium vero Nicænum eandem decernit in schismaticos pœnam, quam in lapsos.

Notandum tamen est multoties a canonum rigore ecclesiæ præsules recessisse circa hæreticos & schismaticos, solaque manuum impositione eos sæpe recepisse, cujus rei rationem reddit Augustinus in epist.

185. alias 50. c. 45. : *In hujusmodi causis, ubi per graves dissentionum scissuras non hujus aut illius hominis est periculum, sed populorum strages jacent, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincere subveniat.* Et cap. 47. : *Sic multitudini per schisma & hæreses pereunti subvenire consuevit.*

Præter idololatras, eorumque adjutores, ac hæreticos, & schismaticos, plures alii irreligiosi homines publicæ addicebantur pœnitentiæ. Ac I. blasphemiæ ac perjuria publica pœnitentia expiabantur, ut videre est apud Synesium epist. 52., Basilium can. 64., & concilia Ilerdense can. 7., Matiscon. 1. can. 17. II. votorum violationes, ut liquet ex can. 60. Basilii contra virgines & monachos post solemnem consecrationem & professionem matrimonio junctos, quos adulterorum pœnitentiam agere oportebat. III. diei dominicæ violatio publica pœnitentia afficiebatur, licet autem plura præscripserit ecclesia, quibus festi dies celebrarentur, tria tamen duntaxat severissime punienda decrevit. I. illos excommunicandos statuunt concilium Illiberitanum canone 28., canon. 7. apostolicus, & 13. Toletanus, qui continuate eucharisticam negli-

gunt communionem die Dominico, nec non eos, qui tres Dominicas dies ad ecclesiam accedere prætermittunt, can. 21. Illiberitanus; II. Carthaginense 4. can. 24. eos, qui sub sanctarum concionum tempus ab ecclesiis discedunt; III. concilium Gangrense can. 18. eos, qui die Dominico jejunant. Etenim, ut inquit s. Augustinus epist. 36. ad Casulan., *die Dominica jejunare scandalum est magnum, maxime posteaquam innotuit detestabilis, multumque fidei catholicæ scripturisque divinis apertissime contraria hæresis Manichæorum, qui suis auditoribus ad jejunandum istum constituerunt tanquam legitimum diem, per quod factum est, ut jejunium diei Dominici horribilius haberetur*. Immo in ecclesia orientali, nec non in pluribus occidentis, a quibus sabbatum singulari cultu peragebatur, excommunicatione mulctati sunt, qui itidem per sabbatum jejunassent, ut liquet ex canone 64. apostolico.

Hic referri possunt etiam pœnæ, quæ contra sepulcrorum violatores infligebantur. Quandoquidem sæpius gemmæ aliæque res pretiosæ cum mortuis sepeliebantur, ac omnium ornamentorum genere monumenta erigebantur; hinc ex tricliniis &

porticibus sepulcralibus columnas, marmora, statuas transferebant, & cæspite vulso, ossibus dispersis, terra sollicitata, omnia penitus perscrutabantur. Quare s. Gregorius Nyssenus epistola canonica ad Letojum can. 7., & concilium Toletanum 4. can. 45. eos grandi pœnitentiæ addixit.

Item tanquam *egentium necatores* excommunicandos sanxit concilium Carthaginense 4. can. 95., Vasense 2. can. 4. eos, qui avaritia ducti ultimæ morientium voluntati quidpiam ecclesiis legantium morem gerere detrectabant, aut in longius tempus differebant.

Nonnulla etiam contra quartum Decalogi præceptum habentur crimina publicæ pœnitentiæ obnoxia. Ac I. filiorum, qui, ingratiis parentibus, monasticam amplectebantur vitam (I), vel connubia inibant, quod idem dicito de servis nuptias contrahentibus citra Domini voluntatem, nec non de virginum raptoribus (II). II. uxorum, quæ matrimonium contractum

(I) Concilium Gangrense can. 16.
(II) S. Basilius can. 22. 38., & 40.

abhorrentes invitos maritos derelinquebant (I). III. patrum, qui liberos suos deserunt (II). IV. denique severissime animadversum est in læsæ majestatis reos, contemptoresque legum ecclesiasticarum, maxime earum, quæ in conciliis conditæ fuerunt; quorum plurima suppetunt exempla in conciliis Carthaginensi 4. c. 67., Toletano 4. can. 49., & 5. can. 2. 3. 4. & 5., Antiocheno canone primo, Carthaginensi 1. can. 14.

Alterum canonicum peccatum semper & ubique publica pœnitentia mulctatum esse diximus homicidium. Hinc concilium Ancyranum can. 22. homicidas usque ad finem vitæ pœnitere præcipit, & s. Basilius 20. annorum pœnitentiam eis injungit; & in concilio Illiberitano c. 5., Epaonensi c. 34. pœnitentiæ publicæ condemnantur domini, qui in castigatione servum interimerent, licet animum occidendi non habuerint. S. vero Basilius generatim hæc decernit contra involuntarios homicidas can. 57.: *Qui non voluntarie interficit, decem*

(I) Gangrense can. 14.
(II) Gangrense can. 15.

annis ſacramentis non communicabit. Decem autem anni ſic in eo diſpenſabuntur: duos quidem annos deflebit, tres autem annos inter auditores perſeverabit, in quatuor ſubſtratus, & anno ſolum conſiſtet, & deinceps ad ſacra admittetur. Quem tamen canonem accipiendum puto de homicidiis, quæ, licet directe voluntaria non sint, aliquo modo gravem redolent culpam.

Plura autem delicta, quæ propius homicidio accedebant, homicidii pœnis afficiebantur. Tanquam homicidæ puniebantur feminæ, quæ pharmaca sumebant ad abigendum fœtum. Ita s. Basilius c. 2.: *Quæ de induſtria fœtum corrupit, cædis pœnas luat. Formati autem, vel informis ſubtilitas a nobis non attenditur (1).* His similia habentur can 20. Ancyrani concilii, & Ilerdensis. Item fratrum delatores ad ethnicos magistratus tempore persecutionis, ut liquet ex can. 73. Illiberitano. Testes, qui

(1) Hanc distinctionem fœtus animati vel inanimati neque Sixtus V. attendit in sua constitutione *Effrenatum* in procurantes abortum; quam tamen cassavit Gregorius XIV. constit. 8. *Sedes Apoſtolica*, & ad terminos juris communis reduxit, si fœtus non est animatus.

ad privandos vita homines falsum testimonium in judicio deponerent, ut constat ex concilio Arelatensi I. c. 14., & II. can. 24., Agathensi can. 37. Virginum violatores, si virgo vitiata præ dolore semetipsam interemerit, tunc jussi sunt decennio pœnitere can. 21. concilii Ancyrani. Lanistæ, qni ludo præerant gladiatorio, gladiatoresque exercebant in arte pugnandi, ut publice mutuo laniarentur, nec non fideles, qui hisce spectaculis intererant, quasi homicidæ habiti sunt, de quibus legendus Cyprianus ad Donat. Athenagoras legat. pro christianis. Eunuchos, qui proprium corpus evirare audebant, trium annorum pœnitentia, si laici, castigandos tradit canon. 22. apostolicus, & 23., neque unquam in clerum adsciscí permittit; quod confirmatum habemus a Nicænis patribus canone primo (1). Deni-

(1) Ex canonibus apostolicis, & Nicæno primo constat irregularitatem ob cujusvis membri mutilationem non adhuc hisce sæculis innotuisse. Ii enim soli, qui seipsos eviraverant, irregulares habebantur ita, ut *eunuchus, si per insidias hominum factus est, vel si in persecutione ejus sunt amputata virilia, vel si ita natus est, & est dignus, efficiatur episcopus.* (ita canon. 21. apostolicus); & primus inter canones Nicænos: *Si*

que severissime ab ecclesia damnati sunt

quis a medicis propter languorem defectus est, aut a barbaris abscissus, hic in clero permaneat. Si quis autem sanus se abscidit, hunc & in clero constitutum abstineri conveniet. Canon vero apostolicus 77.: *Si quis fuerit oculo læsus, vel crure debilitatus; est autem dignus episcopatu, episcopus fiat; non enim vitium corporis eum polluit, sed animæ inquinatio. Qui vero surdus est, mutus, aut cæcus, ne fiat episcopus, non quasi pollutus, sed ne impediantur ecclesiastica.* Posterioribus etiam sæculis non viguisse in ecclesia Græca præsentem circa *irregularitatem* disciplinam liquet ex Sozomeno libr. 6. histor. c. 30., & ex responsione Balsamonis ad quæsitum Marci Alexandrini, qui eum interrogaverat, an manci, aut monoculi habituri essent gradu sacerdotali digni, quæ ita se habet: *Quicunque morborum aliquorum vitio prohibiti fuerint sacerdotalium graduum jura exequi, ordinatione digni non habebuntur. Qui autem post ordinationem sic male affecti sacra facere morbo non impediuntur, & sic etiam imbecilla constitutâ valetudine sacra libere celebrabunt. Nam Dei præconibus placuit neminem a sacrorum celebratione propter corporis mutilationem prohibere.* Præclarum deinde est, quod observat Balsamon & Zonaras in relatos apostolicos canones (apud Selvagium antiq christ. instit. l. 4. c. 7. §. 17.), qui eo maxime ab christiana judaicam distare rempublicam ajunt, quod illa religionis ministros corpore, hæc animo integros esse voluerit. Eandem fuisse etiam ecclesiæ latinæ disciplinam constat ex epistola Innocentii I. ad Felicem Nucerianum. Sed Innocentius I. relatos canones accepit non de sola virilium, sed cujuscunque membri abscissione, dummodo a seipso facta fuerit; inquit enim: *Qui partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit, hunc ad clerum canones non admittunt.* Verum posteriora decreta ecclesiæ latinæ membris defectos generatim inter irregulares

ii, quorum auctoritate homicidium perpetratum est, ut constat ex s. Ambrosio, qui Theodosium imperatorem a communione prohibuit propter Thessalonicam cædem, donec congrua pœnitentia satisfecisset. Hic non abs re erit exscribere, quæ Binghamus certe auctor non suspectus habet l. 16. c. 10. §. 16. originum: *Quamquam enim*, ait, *ut Cyprianus apud Donatum amicum suum queritur, sub imperatoribus ethnicis homicidium publice gestum virtus vocabatur, quum singuli autem illud admitterent, crimen erat; sub christiana tamen institutione ita non erat, sed ecclesia potestatem habebat ipsos imperatores ac principes ob istiusmodi crimina disciplinæ submittendi, quemadmodum ex iis, quæ de Theodosio modo audivimus, apparet. Modus tractandi munerarios, hoc est istiusmodi christianos magistratus, qui munera, sive dira illa spectacula exhibebant populo, in quibus alii alios frequentissime theatro trucidabant, itidem documentum istius-*

annumerasse videntur, etiam si ab aliis hanc passi sint injuriam. Vide apud Gratianum can. 3. distinc. 55. ex concilio Romano sub Hilaro desumptum; & ibidem canonem 13. ex epist. Gelasii I.

modi potestatis. *Canones* (1) *enim omnes istos magistratus excommunicari jubent*, *utpote qui auctoritate sua & sumptu idololatriam*, *& homicidium adjuvent*. Hucusque etherodoxus Binghamus.

Contra 6. Decalogi præceptum præter adulteros, quos pœnitentia publica multatos fuisse supra diximus, etiam fornicatores publica licet mitiori pœna affectos esse liquet ex can. 59. Basilii, & 14. concilii Illiberitani. Hinc præter polygamiam, & concubinatum, nuptias incestuosas, seu aliquo *impedimento*, ut ajunt, *dirimente* contractas publicæ pœnitentiæ obnoxias fuisse perhibent concilia Neocæsarense can. 2., Illiberitanum can. 61., Basilius can. 76., & 78., nonnullique alii canones.

Reliquas autem libidinum furias, ut inquit Tertullianus de pudicitia c. 4., *& in corpora & in sexus ultra jura naturæ*, *non modo limine*, *verum omni ecclesiæ tecto submovemus*, *quia non sunt delicta*, *sed monstra*. Unde concilium Illiberitanum

(1) Videsis can. 7. concilii Arelatensis, Synesium epist. 52., Socratem l. 7. hist. c. 13.

can. 71. *stupratoribus puerorum nec in fine dandam esse communionem* decernit. Basilius can. 62. (1): *Qui suam erga mares turpitudinem declarat, ei tempus dispensabitur illius, qui adulterii scelus admisit.* Concilium Ancyranum can. 16.: *Quicunque prius, quam viginti quidem annos nati essent, peccarunt* (ad bestias accedendo), *postquam quindecim annis substrati, ac supplices fuerint, communionem ad preces assequantur... Quicunque autem hanc ætatem transgressi, & habentes uxores in hoc peccatum inciderunt, viginti annis substrati communionem ad preces assequantur &c.* Severissime tandem animadvertit concilium Illiberitanum can. 12. & 70. in parentes & maritos, qui quæstum ex filiarum vel uxorum stupro fecerint.

Denique, ut finem faciam, furtum ex eorum criminum genere fuisse, quæ publica plectebantur pœnitentia, tradit Ba-

(1) Retuli hunc canonem aliosque, qui omnino non esse reconciliandos quorundam criminum reos decernunt; forsan neque in fine vitæ, (de qua quæstione vide, quæ supra diximus c. 4.) quoniam utique presbyterorum potestatem limitant, licet expresse publicæ pœnitentiæ eos non condemnent.

silius can. 61.: *Qui furatus est, si sponte pœnitentia motus seipsum accusaverit, per annum a sola sacramentorum communione arcebitur; sin autem convictus fuerit, per annos duos. Dividetur autem illi hoc tempus in substrationem & consistentiam, & tunc communione dignus habeatur.* Cui consentire videtur etiam s. Augustinus tractatu 12. in Joannem, cum furtum illis peccatis accenseat, quæ non nisi per publicam pœnitentiam remittebantur, inquiens: *In dilectione ejus & in misericordia ejus, qui ambulat, etiam liberatus ab illis lethalibus & grandibus peccatis, qualia sunt facinora, homicidia, furta, & adulteria.*

CAPUT VI.

An crimina occulta fuerint sex prioribus sæculis publicæ pœnitentiæ obnoxia.

Alia modo esset agitanda quæstio, ut, quam late pateret delictorum *reservatio*, innotesceret, num scilicet sex potissimum prioribus sæculis peccatis etiam occultis pœnitentia publica infligeretur; ex quo cri-

minum *reservatorum* notio desumitur, ut supra demonstravimus. Pro utraque sententia pugnant eruditi. Verum ne actum agam, & ne nimis longa evadat hæc disquisitio, brevi meam aperiam sententiam, lectores remittens ad auctores, qui ex professo hanc tractant disputationem.

Inprimis animadvertendum est, quod licet occultorum criminum publica confessio auctoritate canonum præcepta non fuerit, ut mihi persuasum est, & communius traditur (1): tamen plerumque aliqua, quamvis abdita delicta in ecclesiæ conventu pandebantur consiliantibus episcopis, præsertim quatuor prioribus sæculis, ut unicuique in ecclesiastica historia non nihil versato notum est. Tunc autem etsi occulte commissa, cum publica facta fuerint confessione pœnitentis, publicis expiata fuisse pœnis præter dubium est.

Quæstio igitur est, an crimina, nullo modo evulgata, publica fuerint pœnitentia

(1) Vide dissertat. 44. Duguet libri inscripti *Conferences Ecclesiastiques*, Selvagium in institution. antiquit. christian. l. 3. c. 12. §. 10., qui contra Morinum ostendunt nunquam ecclesiam occultorum criminum publicam sanxisse confessionem.

affecta. Tria potissimum in affirmativam sententiam me adducunt. Primum, quia canones nunquam distinguentes inter delicta publica & occulta absolute publicam pœnitentiam decernunt in crimina consuetis illis formulis, *qui homicidium perpetraverint, qui fornicationem, qui adulterium, qui incestum, qui magos consuluerint &c. in auditione tot annis perseverent, tot in substratione, tot in consistentia &c.* nunquam addita, ut ita dicam *notorietatis* conditione.

Secundum quoties quis sponte peccata enunciasset, minori afficiebatur pœna, quam si accusatus & convictus esset, ut patet ex canone 76. concilii Illiberitani, & cap. 5. collectionis Martini Braccarensis, & can. 8. epistolæ canonicæ Gregorii Thaumaturgi, & can. 7. & 61. Basilii &c. Modo si duntaxat publica delicta publicæ fuissent pœnitentiæ addicta, quæ ratio fingi potest hujus clementiæ? Quæ necessitas convictionis? Cum ipsa peccati *notorietas* convictioni equivaleret.

Tertium denique, quod plurima addunt argumenta hujus sententiæ patroni desumpta ex conciliorum canonibus ac patrum testimoniis, quæ apprime hoc idem

evincunt, quæque brevitatis gratia omitto, & legi possunt apud Alexandrum histor. ecclesias. sæculi 3. dissert. 6. quæst. 2., & præsertim apud Morinum de pœnit. l. 5. c. 8. usque ad caput 14. inclusive.

Ne quis autem ex hac ecclesiæ praxi aut confessionis sigillum reseratum, aut aliquid mali reis evenisse autumet, advertendum est primo multos graviorum criminum expertes pœnitentiam publicam pietatis causa amplexos fuisse eo ferme modo, quo hic & nunc plurimi regularis observantiæ statum profitentur, ut tradit Morinus, & constat ex quibusdam exemplis ab Alexandro citato loco allatis (1); secundo maxima circumspectione ac prudentia occultis peccatoribus imposuisse ecclesiæ ministros publicam pœnitentiam. Absque enim publica criminis confessione ad pœnitentiam admittebantur, & utpote sponte confessi remissiori etiam pœna multabantur; immo si ad episcopum sese detulerant, & insigni aliqua animi contritione crimen deflebant,

(1) Publicam pœnitentiam a multis ultro susceptam fuisse ostendit etiam erudítiss. Jacobus Sirmondus in hist. pœnit. publ. cap. 5., inficiatur tamen imperatam fuisse de occultis delictis.

aliquoties cæteris pœnitentiæ gradibus remissis ad consistentiam recto mittebantur. Hujus moris exempla sunt apud Gregorium Thaumaturgum c. 9.: *Si accusati convicti fuerunt, sint similiter in iis, qui substernuntur; sin autem seipsos enunciaverint, & reddiderint, etiam precibus digni habeantur*. Insigne autem erga adulteras mulieres charitatis testimonium suppeditat s. Basilius ad Amphilochium c. 34.: *Adulterio pollutas mulieres & confitentes ob pietatem, vel quomodocunque convictas publicare quidem patres nostri prohibuerunt, ne convictis mortis causam præbeamus; eas autem stare sine communione jusserunt, donec impleretur tempus pœnitentiæ*. Prorsus consimilis est canon 78. concilii Illiberitani.

Quamquam abditorum criminum reos omni argumentorum genere ostendat Morinus citatis locis publicæ pœnitentiæ subditos fuisse, & capite 9. libri 5. etiam eorum reconciliationem, *inconsulto episcopo*, presbyteris interdictam; postea cap. 16. aperte docet liberum fuisse presbyteris, *inconsulto episcopo*, hujusmodi pœnitentes secreto a peccatis absolvere. At canon 32., concilii Carthaginensis 3., quem in utroque loco affert, quæstionem hanc mea qui-

dem sententia dirimit. Hic igitur canon hoc modo refertur a Dionysio Exiguo sub numero 43.: *Presbyter, inconsulto episcopo, non reconciliet pœnitentem, nisi absente episcopo, & necessitate cogente*. Hactenus laudatus canon vetat presbyteros, inconsulto episcopo, ne quem omnino pœnitentem reconcilient, nullo assignato discrimine inter pœnitentes, qui pœnitentiam publicam agunt ob delictum publicum, ac eos, qui ob occultum. Prosequitur vero: *Cujuscunque pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quod universam ecclesiam commoverit, ante absidem manus ei imponatur (1)*. In hac vero secunda parte canonis concilium *ante absidem* manum esse imponendam pœnitentibus constituit, *quorum crimen vulgatissimum est, universamque ecclesiam commoverit*. Legitima ergo consequentia a contrariis hæc duntaxat erit,

(1) Hic canon in vulgatis hujus concilii exemplaribus divisus est in duos positos sub numero 31., & 32., quemadmodum etiam a Gratiano refertur can. 14. caus. 26. quæst. 6., & can. 5. caus. 26. quæst. 7., diversamque etiam habet lectionem, videlicet, *quod universa ecclesia noverit*, loco *quod universam ecclesiam commoverit*, quod indicasse sufficiat, cum parum nobis intersit.

scilicet eis, quorum crimen non est vulgatissimum &c., ante absidem ecclesiæ necessario non esse manus imponendas; at nunquam, quod a presbyteris, inconsulto episcopo, ad pœnitentiam admitti & reconciliari possint, cum antea decreverit, excepto necessitatis casu, nullum pœnitentem presbyteros absolvere potuisse.

Revera, ni fallor, in hac secunda parte canonis particularem ritum, nempe solemniorem, concilium servandum statuit in pœnitentium, qui immane quoddam scelus & vulgatissimum perpetrarunt, reconciliationem. Etenim non solum crimina *vulgatissima, & quæ universam ecclesiam commoverint*, erant publice ab episcopo condonanda, sed ea omnia, quæ supra recensuimus, saltem si nota fuerint, vel episcopis delata, & duorum vel trium testimonio comprobata, ut unicuique compertum est, & vel ipsemet Morinus pluribus in locis tradit.

Quænam vero fuerit hæc major solemnitas in horum criminum reis absolvendis, licet his verbis *ante absidem* indicetur, non est tamen facile dictu. Variæ enim hujus vocis significationes in glossariis habentur. Apud Du-Cangium: *Absida pro-*

pric est cujusvis ædificii pars extrema & interior super planum semirotundum erecta & concamerata. *Neque duntaxat usurpanda absida pro illa parte, in qua altare collocari solet: convenit cuilibet structuræ in arcum desinenti & concameratæ; quare & dicitur de ecclesiarum sacellis semirotundis, deque aliis partibus ecclesiæ, cum in circulum pariter terminantur.* Morinus, qui in hoc canone designari existimat publicum communem reconciliandi ritum, hoc modo illum explicat: *In publico crimine manus pœnitenti imponebatur publice in media ecclesia ante absidem, hoc est in gremio navis ecclesiæ, episcopo extra sanctuarii cancellos, sed ipsis vicino, tergoque in ipsos obverso sedente, cleroque ipsi assidente. Absis enim vel absida ecclesiæ sanctuarium est. Episcopus igitur ante absidem sedens, clero circumdatus, circumfuso populo peccatori publico manum imponit.*

Verum dato etiam, quod voce *absis* sanctuarium ecclesiæ intelligatur, quod sane dubium est, adhuc particularem, videlicet solemniorem ritum decrevisse concilium dici potest. Non enim prorsus certum est, iis omnibus, qui publice recon-

ciliabantur, ante *absidem* manus fuisse impositas, imo in veteri codice Fiscanensis monasterii, incertum cujus, habetur (1): *Romani reconciliant hominem intra absidem, Græci nolunt. Reconciliatio peccatorum in Cœna Domini tantum est ab episcopo, consummata pœnitentia.* Hic agitur, ut quisque novit, de publica pœnitentium reconciliatione, quam *intra, non ante absidem* a Romanis fieri animadvertitur. Forsan parilis mos erat apud Afros, & ideo in supra relato canone *ante absidem* fieri decernitur, ut solemniori ritu reconciliarentur ii, qui atrociori flagitio universam offendissent ecclesiam.

Cæterum si ante absidem communem omnium publicarum reconciliationum locum velint intelligi, tunc hujus canonis sententia erit, scilicet omnino præstandum esse, ut vulgatissimi & atrocissimi criminis reus, posteaquam exquisito quodam supplicio præter communem aliorum consuetudinem pœnas luerit, publice reconcilietur absque eo, quod in episcoporum sit

(1) Apud Jacobum Sirmondum in hist. public. pœnit. c. 9.

potestate, ut alibi absolvatur. Quemadmodum enim liberum erat episcopis pœnitentias canonicas contrahere, non quidem pro eorum beneplacito, & arbitrio, sed attentis pœnitentium laboribus & humilitate & animi dolore (1); ita etiam quosdam privatim reconciliasse verosimile existimo.

At quod presbyteri, inconsulto episcopo, occultis criminum reis pœnitendi copiam facere, ac eos reconciliare possent, huic canoni adversari præter omne dubium videtur. Cui si addas canonem 32. concilii Illiberitani supra relatum, quo indistincte pœnitentes apud episcopum pœnitentiam agere decernitur, quæque de pœnitentiæ impositione a solo episcopo facienda tradidi, liquido constabit etiam pœnitentibus, quibus pœnitentia publica infligebatur ob occulta delicta, sine explicita episcopi concessione presbyteros veniam dare nequivisse.

Non inficiabor tamen episcopos, quoties pœnitentium multitudini se non suffi-

(1) De hac episcoporum potestate contrahendi pœnas canonicas vide inter alia can. 2., & 4. concilii Ancyrani, 12. Nicæni, 4. 75. 79. & 84. Carthaginensis quarti.

cere cognoverint, uti etiam in eorum absentia, aut infirmitate, aliquibus ex primariis presbyteris hoc officium demandasse publice vel privatim, videlicet secundum canones, pœnitentiam imponendi, nec non reconciliandi eos, qui ob occulta crimina publicæ subjiciebantur pœnitentiæ, ut liquet etiam ex citato codice Fiscanensi, ubi hæc habentur: *Reconciliatio peccatorum in Cœna Domini tantum est ab episcopo, consummata pœnitentia, si vero difficile sit, presbytero potest necessitatis causa præbere potestatem, ut impleat.*

Ex quibus omnibus liquet presbyterorum potestatem in pœnitentiæ administratione ita angustis limitibus sex prioribus ecclesiæ sæculis circumscriptam fuisse, ut forsan hodiernæ casuum reservationes non nisi pristinæ episcopalis auctoritatis sint specimen exiguum.

Antequam huic capiti finem imponamus, advertere oportet plura ad publicam pœnitentiam spectantia abrogata fuisse in ecclesia orientali post pœnitentiarii abolitionem, & præsertim publice pœnitere de occultis criminibus; ut videre est apud Morinum de pœnit. l. 6. c. 22. & seq. Itaque tum ea, quæ diximus, tum quæ

dicturi sumus, nullo modo de ecclesiæ orientalis praxi post sæculum quartum intelligi volumus.

CAPUT VII.

De presbyterorum potestate circa pœnitentiæ sacramenti administrationem a sæculo 8. usque ad 12. inclusive.

Sæculo disinente septimo & ineunte octavo axioma illud notissimum *de peccatis publicis publice pœnitendum, de occultis occulte,* quod fundamentum præcipuum est eorum, quæ in antiqua pœnitentiali disciplina immutata sunt, paulatim vulgari cœpit ita, ut adulto sæculo 8. universum occidentem pervaserit: quo factum est, ut criminum occultorum presbyteris cognitio commissa fuerit, sola publicorum episcopis reservata; nisi tamen quiddam occurreret perplexius atque judicatu difficilius, quia tunc omnino ad episcopum referendum erat, aut, eo absente, ad majorem clerum, licet occultum fuerit, ut liquet inter alios ex can. 7. conc. Ticinensis ann. 850., & ex bulla Sergii papæ ann. 1011.

apud Muratorium antiquit. m. æ. t. 5. col. 341. Prima hujus innovationis origo facile fuit Theodorus Cantuariensis (1) archiepiscopus, ut tradit Morinus de pœnit. l. 7. c. 1., quem episcopum constituit Vitalianus papa anno 668., & in Angliam misit, obiitque anno 690. Is pontificatus tempore celebre suum *pœnitentiale* composuit, in quo singulatim unicuique peccato pœnitentias assignavit, ritusque confessionis & absolutionis descripsit, quodque primum apud Latinos laudatur, cæteraque posteriora ad illius imitationem elucubrata fuere. Theodorus autem cum esset Græcus Græcorum consuetudines in illud invexit inter alias definiendo, ut pro peccatis publicis publica imponeretur pœnitentia, occulta pro occultis. Cum autem nimis opportunus & commodus fuerit singulis sacerdotibus hujusmodi liber, utpote qui contracta & faciliori methodo, quam ca-

(1) Theodorum prius monachum, postea archiepiscopum commendat passim venerabilis Beda, præsertim libr. 5. histor. eccles. c. 8. In ejus pœnitentiali, quod cum variis ejusdem capitulis edidit, ac notis illustravit clariss. Jacobus Petit, nonnulla sunt duriora, & a traditione aliena cap. 2. & cap. 11.

nonum collectiones, omnia contineret, quæ pœnitentiæ administrationem spectant, auctoritas vero Theodori, viri eo sæculo doctissimi, atque propter summi pontificis judicium, a quo ordinatus, & in Angliam missus fuerat, omnibus acceptissimi, maximam conciliarat æstimationem: ideo brevi ab universa ecclesia latina celebratus est, & concilia potissimum post sæculum septimum inita singulis presbyteris illum præ manibus habendum mandarunt, & ita famosa illa distinctio criminum publicorum, & abditorum invaluit (1).

Inter primos auctores, apud quos reperitur hujusmodi distinctio, recensetur etiam venerabilis Beda cap. 1. & 7. libelli de remediis peccatorum, & Ecbertus Eboracensis archiepiscopus; sed clarius adhuc idipsum statuitur in conventu Francorum habito anno 743. Liptinis, præside s. Bonifacio Moguntinensium primo archie-

(1) Vide Morinum de pœnit. l. 7. c. 1. Eruditus Petit t. 2. observat. pag. 62. contendit pœnitentiam publicam omnino pro publicis tantum peccatis ab ecclesia constitutam fuisse, defendit etiam adversus Morinum Theodorum Cantuariensem a disciplinæ novitate; sed utrumque mihi falsum esse videtur. Consule quæ supra diximus.

piscopo, & sedis apostolicæ legato, quod libr. 5. cap. 52. capitularium refertur (apud Morinum citat. loco): *Si occulte & sponte confessus fuerit, occulte fiat, & si publice ac manifeste convictus aut confessus fuerit, publice ac manifeste fiat, & publice coram ecclesia juxta canonicos pœniteat gradus. Post peractam vero secundum canonicam institutionem pœnitentiam occulte vel manifeste canonice reconcilietur, & manus ei cum orationibus, quæ in sacramentario ad reconciliandum pœnitentem continentur, imponatur.*

Ex hac vero criminum distinctione in publica & occulta, eorumque pœnarum in publicas & occultas, aucta fuit presbyterorum auctoritas, cum ab omnibus peccatis, (demtis duntaxat quibusdam atrocioribus, & quorum judicium implicatissimum fuisset) dummodo abdita essent, absolvere possent secundum antiquos supra relatos canones, qui episcopis tantummodo reservant delicta, quæ publice erant expianda. Sublato autem præcepto publice pœnitendi criminum occultorum, ut vidimus, in libera presbyterorum potestate fuit illorum cognitio, & castigatio, & venia; semper tamen secundum canonicas sanctiones ita, ut

solius solemnitatis discrimen inter pœnitentes occultos ac publicos intercederet, ut liquet ex l. 5. capitular.: *Nemo sacerdotum populi sibi peccata confitentium sine auctoritate canonum judicare præsumat.* Et concilium Cabillonense 2. jussu Caroli Magni celebratum c. 38.: *Modus pœnitentiæ peccata sua confitentibus aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctarum scripturarum auctoritatem, aut per ecclesiasticam consuetudinem ... imponi debet.*

Qua autem ratione pœnæ sint, & dicantur secundum canones & ecclesiasticas consuetudines imponendæ, licet canones & pœnitentialia non omnibus omnino peccatis apposite illas constituerint, sed sacerdotum arbitrio id pluries reliquerint, habetur in Decreto canone 88. distinc. 1. de pœnit.: *Extant pro quibusdam culpis pœnitentiæ modi impositi, juxta quos cæteræ perpendendæ sunt culpæ, cum sit facile per eosdem modos vindictam & censuram canonum æstimare.*

At si ex intermissione publicæ pœnitentiæ ob occulta delicta aucta fuit presbyterorum auctoritas, imminuta tamen etiam videtur in conciliorum canonibus & pœnitentialibus libris, a quibus sensim amplia-

tus est numerus criminum publicæ pœnitentiæ subjectorum. Nimis longum & molestum esset exscribere omnes canones, omnesque pœnitentialium librorum sententias, quibus peccata publicæ pœnitentiæ obnoxia recensentur: idcirco id prætereundum censui, præsertim cum ea omnia crimina, nec non eorundem pœnæ prostent in libris, qui omnium manibus teruntur; ut in tractatibus de pœnit. apud plures theologiæ moralis auctores, locupletissime vero in instructionibus pro confessariis sancti Caroli.

Hoc solum advertere oportet diligenter inquisitum fuisse ab episcopis & archidiaconis in visitationibus in crimina occulta, quæ si publice probarentur, licet nondum diffamata essent, rei nihilominus publicæ pœnitentiæ addicebantur, ut eruditissime ostendit Morinus de pœnit. l. 7. c. 3. & seq.; ubi videre est in allatis monumentis, quanta sollicitudine episcopi invigilarent in universa diœcesi ad publica crimina revincenda, & occulta juridice detegenda, ut ea publica & canonica pœnitentia multarent. Quare nil mirum, si adhuc, postquam cessaverit publica de delictis occultis pœnitentia, maximus nihilo-

minus fuerit pœnitentium publicorum in ecclesiis numerus, ut ostendit Morinus de pœnit. l. 7. c. 2., quorum reconciliatio ad solos episcopos pertinebat, proindeque adhuc intra angustos limites presbyterorum jurisdictio contineretur.

Ne quis vero me hoc gratis asserere existimet, quod scilicet vetus superiori capite relatum ecclesiæ institutum circa criminum publicæ pœnitentiæ subjectorum reservationem hoc ævo viguerit, conciliorum afferendi sunt canones, qui hoc idem ostendunt. At quoniam plurimi mihi suppetunt, ideo ne omnes colligam, eos seligam, qui præclare universam de presbyterorum auctoritate in pœnitentiæ sacramenti administratione disciplinam ecclesiæ illustrant.

Jam in capitularibus regum Franc., in quibus plurima instaurantur, quæ longa morum corruptela vitiarat, prisca pœnitentialis ecclesiæ praxis diserte confirmatur, si ea, quæ de occultis criminibus supra tradidi, excipias., Ut cætera omittam, l. 6. c. 206. hæc habentur: *Quia varia necessitate præpedimur canonum statuta de reconciliandis pœnitentibus pleniter observare, propterea non dimittatur omnino, ut unusquisque presbyter jussione episcopi de*

occultis tantum, quia de manifestis episcopis semper convenit judicare, statim post acceptam confessionis pœnitentiam singulos data oratione reconciliare (1). Duo veteris disciplinæ capita circa presbyterorum potestatem in pœnitentiæ administratione stabiliuntur hoc in loco; asseritur primo solis episcopis jus reconciliandi publicos pœnitentes, ut per se patet, secundo præcipitur presbyteris, ut non nisi ex episcopi concessione occultos pœnitentes absolvant, ut clare nos docent ea verba, *unusquisque presbyter jussione episcopi de occultis tantum reconciliare*. Neque ullam faciunt difficultatem hæc verba *unusquisque presbyter*, quasi omnes presbyteri ex ordinaria, ut ajunt, auctoritate occultos pœnitentes re-

(1) Ex hoc testimonio aperte liquet coactos fuisse episcopos nonnulla contra canones agere, videlicet indulgere presbyteris, ut occultos pœnitentes in privata reconciliatione statim post confessionem & datam pœnitentiam absolvant. Vide hac de re Thomassinum de nova & veteri eccles. disciplina p. 1. l. 2. c. 11. Imo hoc ævo etiam pœnitentibus publicis, si diuturnior pœnitentia infligebatur, concedebatur absolutio multis annis ante pœnitentiæ finem, & nonnunquam etiam communio eucharistica. Consule Martene de antiq. eccles. rit. l. 1. c. 6. art. 5., Morinum de pœnit. l. 9. cap. 16.

conciliare possent. Si enim *unusquisque presbyter jussione* tantum *episcopi* hoc præstare poterat, *unusquisque* non absolute & indefinite accipiendum erit, sed iis presbyteris duntaxat referendum, quibus episcopi hanc delegarunt auctoritatem.

Idipsum Herardus Turonensis archiepiscopus in capitulis, quæ ex corpore canonum excerpsit, & observanda mandavit presbyteris in synodo congregatis anno 858., tradidit cap. 59.: *Presbyteri de occultis jussione episcopi pœnitentes reconcilient (1)*.

Sed hæc duo episcopalis auctoritatis fundamenta apprime illustrat synodus Ticinensis anni 850., cui præfuerunt Angilbertus Mediolanensis archiepiscopus, & Theudemarus Aquilejensis patriarcha. In hac enim patres & suum erga publicos pœnitentes jus vindicant episcopis, & iis solis presbyteris peccata occulta dimittendi potestatem asserunt, quos episcopi & archipresbyteri censuerint tanto oneri pares.

(1) Hoc Herardi capitulum habetur in decreto can. 4. caus. 26. q. 6. falso Evaristo papæ adscripto, ut contendit Berardus in can. Gratiani t. 1. p. 2. cap. 3.

Canone itaque 7. hæc habentur : *Reconciliatio pœnitentium juxta antiquorum canonum instituta non a presbyteris, sed ab episcopis fieri debet: nisi forte quis in periculo fuerit constitutus, & se reconciliari devote petierit. Si episcopus absens fuerit, debet utique presbyter consulere, & sic pœnitentem ejus præcepto reconciliare.* En primo antiqua supradicta consuetudo, ut episcopi publicos pœnitentes etiam infirmos reconcilient, confirmata; dum in eorum absentia tantum licere presbyteris doceat synodus iis reconciliationem impertire. Quam tamen non fuisse duntaxat censuræ condonationem, sed etiam veram a peccatis absolutionem, aperte demonstrant ea, quæ sequuntur : *Aliter autem sicut nec chrismatis confectio, vel puellarum consecratio, ita nec pœnitentium reconciliatio ullatenus a presbyteris fieri debuit; quia solis episcopis apostolorum vicem tenentibus per manus impositionem specialiter in ecclesia conceditur, quod tunc apostolis ad ipsos, Domino dicente, concessum est: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.*

Non ab omnibus vero, sed ab iis solis presbyteris, quos episcopi & archi-

presbyteri selegerint, pœnitentiæ sacramentum ob occulta crimina pœnitentibus administrandum esse decreverat canone 6.: *Qui occulte deliquerunt, illis confiteantur, quos episcopi & plebium archipresbyteri idoneos ad secretiora vulnera mentium medicos elegerint; qui si forsitan in aliquo dubitaverint, episcoporum suorum non dissimulent implorare sententiam .... Similiter autem & singulis urbium vicinis & suburbanis per municipalem* (idest ecclesiæ cathedralis) *archipresbyterum, & reliquos ex presbyteris strenuos ministros procuret episcopus, habita penitus in rebus dubiis observatione, quæ superius prexa est* (forsan præfixa). Nil clarius desiderari potest. Palam igitur est, neminem præter archipresbyteros ex officio & institutione tam in ruralibus quam in urbanis ecclesiis auctoritatem habuisse excipiendi secreto confessiones, pœnitentesque occultos absolvendi; sed delegatione tantummodo nonnullis munus hoc demandatum fuisse ab episcopis & archipresbyteris. Huc revocanda sunt in hujus rei confirmationem, quæ superius tradidimus ex s. Ignatio, & canone 32. apostolico c. 1. relato, nec non septimo Hispalensis cap. 2., quæ his aperte con-

gruunt, ostenduntque presbyteros non nisi ex speciali concessione etiam occultos pœnitentes a peccatis absolvere potuisse.

Hoc idem confirmare videtur Nicephorus Chartophylax epistola prima ad monachum quemdam Theodosium nomine relata tomo 12. bibliot. patrum, inquiens: *Æquum & justum est, ut præsulem tuum Corinthiæ ecclesiæ pontificem interroges, & ab eo discas, nihilque sine ejus sententia circa salutem animarum facias, sed nec ratiocinia suscipias, aut gratiam concilies pœnitentibus, nisi accepta ab eo venia: hoc enim vult apostolica & paterna ecclesiæ traditio.*

Quod vero attinet ad pœnitentiæ publicæ ministrum, veterem ecclesiæ disciplinam confirmatam habes ab Hincmaro Rhemensi, cujus integrum fere capitulum 12. referendum est, utpote quod accuratissime pœnitentialem praxim describens quædam hactenus indicta suggerit, quæ pluribus aliis etiam medii ævi monumentis concordant. Hæc igitur ille anno 856. juxta Alexandrum histor. eccles. sæculi noni ad presbyteros suæ diœcesis: *Ut unusquisque sacerdos maximam providentiam habeat, quatenus si forte in parochia sua publicum ho-*

micidium, aut adulterium, sive perjurium, vel quodcunque criminale peccatum publice perpetratum fuerit, statim, si auctorem facti, vel consentientem adire potuerit, hortetur eum, quatenus ad pœnitentiam veniat coram decano (1) & compresbyteris suis, & quidquid ipsi inde invenerint vel egerint, hoc comministris nostris, magistris suis, qui in civitate consistunt, innotescat: ut infra quindecim dies ad nostram præsentiam, si intra parochiam nostram (idest diœcesim) *fuerimus, veniat, & juxta traditionem canonicam publicam pœnitentiam cum manus impositione accipiat. Et si longius a parochia nostra fuerimus, annus & dies Kalendarum subtiliter describatur, quando peccatum publicum quisque admisit, & quando ad pœnitentiam coram ministris venit, vel quando ad impositionem manus*

(1) Decanus idem ac archipresbyter ruralis. *Quum enim*, ut inquit Selvagius in instit. antiquit. christian. l. 1. p. 2. cap. 1. §. 5., *diœceses præsertim amplæ in plures dividi cœpissent regiones, sic dictas decanias, quod singulæ decem titulos complecterentur, atque usu quoque inductum esset, ut singulis decaniis singuli præficerentur archipresbyteri, hinc factum est, ut hi decani quoque dicerentur*. Consule Thomassinum de veter. eccles. disciplina p. 1. l. 5. cap. 5.

nostræ pervenit. Et semper de Kalendis in Kalendas mensium, quando presbyteri de decaniis simul conveniunt, collationem de pœnitentibus suis habeant, qualiter unusquisque suam pœnitentiam faciat, & nobis per comministrum nostrum renuntietur, ut in actione pœnitentiæ pensare valeamus, quando quisque pœnitentium reconciliari habeat. Et si forte quis ad pœnitentiam venire noluerit infra quindecim dies post perpetrationem peccati, & cohortationem presbyteri, in cujus parochia actum fuerit, & sedulitatem decani, aut compresbyterorum suorum... decernatur qualiter, qui peccatum perpetravit, & ad pœnitentiam redire contemnit, a cœtu ecclesiæ, donec ad pœnitentiam redeat, segregetur &c. Hæ sunt partes in publica pœnitentia, quas episcopi, quasque presbyteri habebant; & licet Hincmarus expresse loquatur tantummodo de illius impositione ordine & moderatione, quas penes episcopos esse tradit, etiam de publica pœnitentium reconciliatione intelligendum præter dubium est: cum hæc sit complementum ipsius pœnitentiæ, & in monumentis suprarelatis aliisque quamplurimis illius ævi, episcopis reconciliationis publicæ jus vindicetur.

Inter cætera illustre est Herardi Turonensis episcopi supracitati capitulum 14., in quo ait: *Ut tempore opportuno publica crimina ad notitiam episcopi deducantur, maximeque in die magno Cœnæ reconciliandi, vel adhuc suspendendi, per proprium presbyterum, vel per legatum ipsius, eundemque presbyterum, cui causa ipsius criminis bene habeatur cognita, ad præsentiam episcopi deferantur; ne anima fratris negligentia vel otio sacerdotis absque reconciliatione permanens ejus periculo pereat.*

Patet ex relatorum canonum & capitulorum sententia, quantum absint a vero, qui docent in pagis ab urbe dissitis publicæ pœnitentiæ administrationem presbyteris demandatam fuisse, eo quod episcopi ibi vix ac ne vix quidem adesse possent, quasi pœnitentibus, qui per diuturna tempora pœnitentiæ labores ferre debebant, vel jam pertulerant, nimis grave foret bidui, aut etiam quatridui iter, quo ad pedes episcopi se conferrent, ut & pœnitentiam & absolutionem assequerentur.

Attamen non dissimulandum, quod ex libro sacramentorum Gelasii, qui veteri usurpatione *Sacramentarium* dicitur & *Ordo Romanus*, a venerabili cardinali Tho-

masio edito t. 6. p. 54. edit. Romanæ anni 1751. objicitur. Ibi enim in publicæ reconciliationis ordine hæc habentur: *Post hæc admonetur* (pœnitens). *ab episcopo, sive alio sacerdote, ut quod pœnitendo diluit, iterando non revocet. Inde vero has dicit orationes sacerdos super eum &c.* Ex quo faciunt presbyteros in pœnitentiæ publicæ administratione quasi episcopis pares.

At quam absurde, nemo non videt. Dato enim, quod hæc sacramentarii verba conciliari non possent cum iis, quæ supra docuimus de episcoporum jure circa pœnitentium publicam reconciliationem, quomodonam sententiam tot repetitis ecclesiæ legibus confirmatam labefactare quiverint? Sed hoc omisso, respondemus; cum episcopi interdum longe abessent a diœcesi, neque brevi essent affuturi, publicam pœnitentium reconciliationem presbyteris, vel archipresbyteris, vel chorepiscopis delegabant, præsertim si ex diuturniori dilatione aliquid detrimenti metuerint, vel etiam, si dies præstituta reconciliationibus, ut fer. 5. in Cœna Domini advenerit. Harum delegationum exempla nonnulla suppeditant antiqua monumenta, ex quibus etiam liquet non

semper eadem facilitate concessas fuisse. Consule, quæ de hac re supra diximus capite 2. Quare nihil absurdi si præcipiat Ordo supracitatus, ut pœnitens *admoneatur ab episcopo, sive ab alio sacerdote* &c., cum aliquoties etiam sacerdotes publice reconciliarent pœnitentes ex speciali episcopi mandato.

Verum, ut meam circa objectum monumentum conjecturam dicam, illud existimo additamento interpolatum fuisse, ut in hujusmodi libris fieri semper solet; & in hoc codice *nonnulla esse apposita* vel ipsemet cardinalis Thomasius in præfatione fatetur, nec non cl. Antonius Ludovicus Muratorius in libro, cui titulus *Liturgia Romana Vetus* dissert. de rebus liturgicis cap. 5. Siquidem animadverto in orationibus nunquam hanc alternam dictionem *episcopi vel sacerdotis* iterari, imo in iis habentur locutiones, quæ non nisi episcopis aptari possunt. Cum enim diaconus pœnitentes reconciliandos offert ministro reconciliationis, ipsum alloquitur his verbis: *Adest, o venerabilis pontifex*, quæ etiam repetit prope finem; archidiaconus vero: *Redintegra in eo, apostolice pontifex*. Quibus sane vocibus episcopi designabantur, vel forte

summus pontifex, cum præcipue ad usum Romanæ ecclesiæ elucubratus fuerit, & *apostolicus* vocaretur papa. Vero itaque credo simile vocem illam *ab episcopo* additam postea fuisse, præsertim cum Ordo mandans recitationem orationum absolute habeat, *has dicit orationes sacerdos*, omisso *vel episcopus*, intelligens hoc verbo *sacerdos* episcopum vel summum pontificem; apud veteres enim patres, puta apud Augustinum, Ambrosium, aliosque solis plerumque episcopis, & summis pontificibus sacerdotis nomen defertur (1). Mos vero

(1) S. Pacianus epist. 3. adversus Sympronianum Novatianum: *Plebi vestra unde Spiritum, quam non consignat unctus sacerdos*. S. Ambrosius l. 5. epist. 30.: *S. Damasus Romana ecclesia sacerdos*. Codex canonum ecclesiæ Africanæ episcopos Alexandrinum & Antiochenum aliosque *sacerdotes* appellat can. 134.; *Scribere etiam digneris ad illarum partium sacerdotes, hoc est ecclesia Antiochena, Alexandrina, & Constantinopolitana*. Gregorius Magnus ad Marinianum episcopum Ravennatem adversa valetudine laborantem scribit: *A vigiliis quoque temperandum est, ut preces, qua super cereum in Ravennati civitate dici solent*, (ab episcopo) *vel expositiones evangelii, qua circa pascalem solemnitatem a sacerdotibus* (idest episcopis) *fiunt, per alium dicantur*. Gregorius Turonensis l. de glor. confess. c. 107. de s. Paulino episcopo Nolano loquens ait: *Decedente sacerdote apud Nolanam urbem, ipse in locum episcopi subrogatus &c.* Presbyteri vero diceban-

iste paulatim obsolevit, & ad presbyteros passim vox ista delata est. Quare posito, quod primitus sacramentarium exaratum fuerit his solis verbis: *Post hæc admonetur a sacerdote*, prætermissa voce vel *ab episcopo*, intelligens Gelasius, vel quicunque hunc antiquissimum sacramentorum librum collegit & redegit in ordinem, intelligens dico hoc verbo *a sacerdote* significare episcopum, ut moris erat, verosimile admodum videtur, posterioribus sæculis, quibus transcriptum fuit, & in quibus presbyteri nuncupabantur sacerdotes, verba illa *ab episcopo sive alio* adjuncta fuisse, ut indicarent episcopos, quibus solis jus erat publicos pœnitentes reddere ecclesiæ paci. Similis additionis specimen exhibet nobis sacramentarium istud feria 6. majoris hebdomadæ, ubi hæc habentur: *Respice propitius ad Romanum, sive Francorum beni-*

tur secundi ordinis sacerdotes, ut videri potest apud Sinodium. Episcopi vocabantur etiam presbyteri, ut liquet ex epist. ad Victorem papam s. Irenæi l. 1. p. 340 editionis Massuet: *Sed & presbyteri illi, qui ante Soterem ecclesiam, cui tu nunc praes, gubernarunt, Anicetum dico & Pium & Hyginum cum Thelesphoro & Sixto* &c.

gnus imperium (1), nec non præcedens proxima oratio, sive potius ad populum admonitio, quæ orationem præcedit: *Oremus & pro christianissimo imperatore, vel rege nostro illustr.*, quas voces *sive Francorum, vel rege nostro illustr.* additas Gelasiano sacramentario fuisse, quando ad usum Gallicanæ alicujus ecclesiæ exscriptum fuit, opinatus est vel ipsemet auctor præfationis, quæ novæ citatæ editioni præmittitur tom. *6*.

Ex Ordine vero Romano verba illa in aliquem etiam pœnitentialem librum ad hujus normam elucubratum invecta esse existimo, aliis econtra in publica reconciliatione peragenda solos episcopos nominantibus. Peculiari autem animadversione dignus sacramentorum liber Gregorianus ex codice bibliothecæ Thuanæ exscriptus & editus a Morino in fine operis de pœnit.,

(1) Jacobus Basnagius ex hac additione & ex nonnullis aliis exscriptum fuisse hoc sacramentarium contendit decimo sæculo, quem tamen erudite confutat clariss. Muratorius dissert. citata, qua ostendere conatur, nihil hactenus productum fuisse, quod s. Gelasio abjudicandum suadeat sacramentarium hoc, simulque codicem, unde illud expressum fuit, & ex quo editum, ante annum 800. fuisse exaratum.

qui octingentis annis antiquior ipsi videtur, & ad finem regni Caroli Calvi, aut filii ejus Ludovici Balbi revocandus; hæc enim habentur circa pœnitentium reconciliationem: *Feria 5. in Cœna Domini præsentatur pœnitens... dat orationem sacerdos ad reconciliandum; Adesto Domine &c.*, ut in ordine Gelasiano, omisso penitus nomine episcopi. Similiter Flaccus Alcuinus l. de divin. officiis cap. de Cœna Domini apud Morinum de pœnit. l. 9. c. 30.: *Post hoc admoneatur a sacerdote, ut quod pœnitendo diluit, iterando non repetat*; quæ plane nostram de additione vocis *ab episcopo* in Gelasiano codice conjecturam confirmant.

Altera objectio, quam commemorare supervacaneum esset, nisi contra veterem supra narratam ecclesiæ disciplinam prolatam legerem, desumitur ex pœnitentialibus libris particularium diœcesium propriis, qui auctoritate Benedicti XIV. de synodo l. 1. c. 1. n. 7. non aliter ab episcopis facti dicuntur, quam de suorum presbyterorum consilio (1), ex quo ita argumentantur:

(1) Non inficior libros pœnitentiales in synodo

non erat, cur quælibet diœcesis suum pœnitentialem librum componeret totius cleri consilio, nisi presbyteri præsertim per diœcesim constituti jus habuissent & pœnitentias publicas imponendi, & pœnitentes post pœnitentiæ labores reconciliandi.

Quantum claudicet hoc argumentum, quisque primo intuitu perspicit. Quot enim episcopi consilio cleri decernebant, & operabantur, quæ non nisi ipsi poterant præstare? Clerus semper habitus fuit veluti ecclesiæ senatus (1), ideoque nihil grave

diœcesana, ut habet Benedictus XIV., exaratos fuisse ab episcopis, non ideo quod hoc verum esse existimem, sed quod mihi parum interest, & ne temeritatis nota inurar clariss. Benedicti XIV. assertum refellendo. Cæterum hoc falsum esse puto, neque id deduci potest ex epist. 52. Cypriani, quam in hujus rei confirmationem laudat doctiss. auctor, cum ibi non de synodo diœcesana, sed de episcoporum concilio celebrando loquatur Cyprianus, quod revera postea habuit Chartagine, ibique illum celebrem libellum non absimilem pœnitentialibus libris postea medio ævo confectis composuit de coepiscoporum suorum consilio & auctoritate. Vide ejus vitam operi præmissam §. 18.

(1) S. Hieronymus in Isaiam c. 3.: *Et nos habemus in ecclesia senatum nostrum cœtum presbyterorum*. S. Basilius epist. 319.: *Senatum presbyterii per singulas civitates*. Constitutionum apostolicarum auctor libr. 2. cap. 27.: *Presbyteri . . . tanquam consiliarii episcopi, & ecclesiæ corona . . . . consilium & senatus ecclesiæ*.

agebant episcopi sine illius consilio. Nonne clerum consulebant vel de ipsis clericorum promotionibus (1)? Ergo ne presbyteri manuum impositione clericos ordinare poterant? Verum, ut melius innotescat hujus argumenti fallacia, animadvertendum est, etiam ob occulta crimina canonicam pœnitentiam impositam fuisse, semota tamen omni solemnitate, & iisdem pœnis crimina publica publice, & crimina occulta occulte castigata & curata fuisse, quod invicte ostendit Morinus de pœnit. l. 7. c. 21. In libris vero pœnitentialibus, ut supra diximus, cuilibet peccato canonicæ pœnæ definiuntur, ritusque privatæ pœnitentiæ, quemadmodum in Turonensi, Siculo, Andegavensi, aliisque; vel ut in quibusdam aliis non solum privatæ, sed etiam publicæ pœnitentiæ ratio habetur. Quare, dato etiam, quod illatio ex præmissis flueret, ita ut dici posset: si episcopi de consilio presbyterorum elucubrarunt pœnitentiales libros; ergo presbyteri pœnitentes reconci-

(1) Vide canonem 22. concilii Carthaginensis 4.: *Episcopus sine consensu clericorum suorum clericos non ordinet.*

liabant ; cum pœnitentiales libri pro privata tantum pœnitentia, de quo vide Morinum citato loco, vel saltem pro publica & privata editi sint, proindeque presbyteri necessario iis uti tenerentur, ut unicuique peccato occulto occultas pœnas assignarent, inferri jure tantum poterit presbyteros privatam pœnitentiam ministrasse, nunquam autem publicos pœnitentes ad ecclesiæ pacem recepisse.

Non negandum tamen ab episcopis interdum concessam fuisse chorepiscopis pœnitentium publicorum reconciliationem, utpote qui plurima alia munera episcopalia ex eorundem delegatione obirent, ac nonnulli saltem essent veri ordinatione episcopi. Et licet de chorepiscoporum officiis plurimum disceptatum esset in Galliis, & a Leone III. summo pontifice damnati essent, vetitumque, ne chorepiscopi a quibuscunque episcopis deinceps instituerentur ; nihilominus cum præsulum desidiæ faverent in se suscipientes omnem curam & laborem episcopalis ministerii, ut paulo asperioribus verbis tradit Hincmarus (1),

(1) Hincmarus epist. 45. c. 16 : *Sed & scanda-*

iterum restituti sunt, egeruntque altas radices in Galliis. Quare, ut modum aliquem illorum pervicaciæ imponeret synodus Meldensis anni 845. can. 44., prohibuit inter alia, ne in administranda pœnitentia eos limites excederent, qui ab episcopis fuerint ipsis circumscripti: *Chorepiscopus impositioni pœnitentiæ aut pœnitentium reconciliationi per parochiam secundum mandatum episcopi sui inserviat.*

Sequenti sæculo imo & posterioribus supra laudatam ecclesiæ disciplinam circa pœnitentiæ publicæ administrationem perdurasse plurima testantur monumenta. De sæculo 10. sufficiat referre cap. 90. Attonis II. Vercellarum episcopi, quarum infulas ann. 924. assecutum esse demonstrat clariss. Carolus Burontius Del Signore in præfatione ad ejusdem opera; integrum exscribam, cum fere omnia supradicta disertissime confirmet: *Non debet presbyter*

lum in ecclesia misit, sicut & quidam episcopi etiam a longe præcedentibus temporibus scandalum pro sua quiete & voluptatibus in ecclesiam intromiserunt ordinantes chorepiscopos, & eis, quæ summis pontificibus conveniunt, agere permittentes. Vide clariss. Petrum de Marca de concordia sacerdotii l. 2. c. 13. & seq., & Thomassinum de eccles. discip. p. 1. l. 2. c. 1. & seq.

injungere pœnitentiæ leges ſine aliquo reſpectu perſonæ aut cauſæ, ſed tempora pœnitentiæ aut reconciliationis epiſcopi arbitrio concedat. Et ut presbyter, inconſulto epiſcopo, non reconciliet pœnitentem, niſi epiſcopo permittente, ſed potius presbyteri, qui in plebibus ordinantur, providentiam magnam habeant, ne eorum parochiani in criminalia incidant delicta. Quod ſi evenerit, tam ab ipſis, quam ab omnibus vicinis diligenter, qualiter acta ſunt, inquirant, & ſcriptis notare non differant, eoſque admonere frequenter ſtudeant, ut ad pacis & pœnitentiæ ſatisfactionem citiſſime currant, & cum ipſis primus ejuſdem plebis presbyter, aut qui doctor poſt ipſum fuerit, veniat, idemque, quod ſcripſerat, ſecum adferat. Quod ſi iidem pœnitentes venire diſtulerint, ipſe in capite jejunii ad primam ejuſdem epiſcopi ſedem eſſe nullo modo cum eodem diſſimulet ſcripto, ſuoque hoc ſuggerat epiſcopo, ut, quod ei exinde agendum ſit, conſideret. Si autem etiam pœnitentes adſuerint, leges, quæ illis pœnitentiæ imponuntur, rurſus deſcribat, curamque & ſollicitudinem erga eos maximam gerat, ut eorum converſationem pleniſſime cognoſcere poſſit. Quod ſi obnixe aliquem

pœnitentiæ viderit incumbere, ut, debilitate incurrente, periculum speretur, aut si infirmitas quemquam oppresserit, ad suum presbyter recurrat episcopum, ut illi per ipsum remedia concedantur. Qui si defuerit, cardinalibus primæ sedis presbyteris interim suggeratur. Ad diem namque reconciliationis, idest Cœnæ Domini, ipse quoque recurrat singulorum acta plenissime indicandum: similiter etiam quarto die post octavam Pentecostes, cum ipsis pariter adesse festinet, ut rursus, quæ illis jussa fuerint, cognoscere & describere possit.

In hoc capitulo non obscure indicantur partes, quas circa publicos pœnitentes in episcoporum absentia habebat cathedralis ecclesiæ clerus, quem hisce verbis *cardinalibus primæ sedis presbyteris* designavit Atto. Ad ipsum enim diœcesis presbyteros devolvi mandat, si quis absente episcopo publicus pœnitens in mortis discrimine constitutus reconciliandus esset, profecto, ut facultatem assequerentur illum reconciliandi non solum Deo, absolutione scilicet a peccatis, sed etiam altari, seu eucharisticæ mensæ reddendi, quæ hoc ævo non ita facile, ut superius annotavimus, concedebatur; quoniam majori clero,

seu canonicis discedentes ab ecclesiis suis episcopi nullos potestatis limites delineare soliti erant, nisi quos canones, mores, legesque modestiæ definiebant.

Notandus etiam videtur in Attonis capitulo præstitutus dies quartus post octavam Pentecosten, quo jubentur presbyteri, ut cum pœnitentibus denuo se sistant antistiti descripturi novum pœnitentiæ ordinem, ut plurimum remissiorem, saltem si laboribus & jejuniis rite ac diligenter perfuncti fuerint pœnitentes; quo enim propius ad reconciliationis tempora accedebant, eo remissiores erant pœnæ. Hunc diem pœnitentibus præfinitum in nullo alio veteri monumento perlegi, nisi meam fugerit memoriam. Cur autem illum assignaverit Atto, non est facile dictu. Scito tamen sæpius tres quadragesimas uno quoque anno jejunandas pœnitentibus imponi solitas hisce sæculis; altera ante Pascha, altera ante Natalem, media inter utramque post Pentecosten (1). Hæc, ut liquet ex Alexandro

(1) Vide concilium Rhemense anni 923. t. 3. concilior. Galliæ.

II. (1) minus austere jejunabatur; conjectando dici posset hac die revocari pœnitentes ab episcopis, ut novam jejuniorum rationem acciperent.

Toto sæculo undecimo, quo districtissime continuatam, imo in aliquibus auctam pœnitentiæ canonicæ severitatem novimus, episcopis servatam esse publicam pœnitentium reconciliationem videre est in canonum collectionibus a Burchardo & Ivone confectis, in quibus canones referuntur, qui episcopis hoc jus auctoritatemque vindicant. Horum primus obiit senex an. 1026., alter ineunte sæculo 12., quorum omissis testimoniis can. 20. concilii Salegustadiensis

(1) Alexander II., qui pontificatum iniit anno 1060., obiitque anno 1072. ita scribit ad Berengarium Basileensem episcopum: *Iste pœnitens venit ad nos . . . . injunximus, ut jejunet quidem tribus quadragesimis. In quadragesima post Pentecosten duobus diebus in pane & aqua in septimana, & in Adventu tribus, & in majori quadragesima tribus &c.* Hoc refert Ivo p. 9. c. 9. Vide alias hujus pontificis epistolas scriptas clero Vulturnensi, ut refert Ivo par. 10. decr. c. 16., & Amalgerio Cluitanensi episcopo, apud Ivonem part. 10. c. 14., ex quibus etiam apparet tunc temporis praxis reos criminum graviorum Romam mittendi, ut a summis pontificibus crimini conveniens pœna imponeretur: adeo solliciti erant episcopi, ut pœnæ delictis responderent.

celebrati an. 1023. exscribam: *Decretum est, ut nullus presbyterorum quemquam, nisi jussu episcopi, in ecclesiam introducere præsumat, cui pro aliquo delicto illam ingredi non liceat*. Vide etiam concilium Londinense ann. 1102., cujus canones licet integri non habeantur, in eorum tamen breviario a Labbeo edito t. 12. conciliorum distincte illius statuta recensentur.

Quamvis initio sæculi 12. quibusdam in locis pœnitentia publica desuescere cœpisset; firmum tamen & inconcussum remansit, ut ubi haberentur publici pœnitentes, jus eos reconciliandi penes solos episcopos esset. Locuples testis est Gratianus in Decreto caus. 26. q. 6., qua aliquos etiam congerit canones idipsum confirmantes. Quoniam tamen genuinos jam superius attulimus, idcirco non injucundum lectoribus existimo, si, iis omissis, canonem 64. distinc. 50. exscribam, quo & episcopale jus, & publicæ pœnitentiæ imponendæ ritus exponitur. Hic canon licet a Gratiano adscribatur concilio Agathensi, verba tamen esse Reginonis excerpta ex cap. 291. libr. de eccles. discip., quos scripsit initio sæculi decimi, invicte demonstrat Berardus in canones Gratiani p. 1. c. 23. Sic igitur

ille : *In capite quadragesimæ omnes pœnitentes, qui publicam suscipiunt, aut susceperunt pœnitentiam, ante fores ecclesiæ se repræsentent episcopo civitatis sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demissis (I), reos se esse ipso habitu & vultu protestantes. Ibi adesse debent decani, idest archipresbyteri parochiarum (II), & presbyteri pœnitentium, qui eorum conversationem diligenter inspicere debent, & secundum modum culpæ pœnitentiam per præfatos gradus injungere. Post hæc eos in ecclesiam introducat, ut cum omni clero septem pœnitentiales psalmos in terra prostratus episcopus cum lacrymis pro eorum absolutione decantet: tunc resurgens ab oratione, juxta quod canones jubent, manus eis imponat, aquam benedictam super eos spargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum operiet, & cum gemitu & crebris suspiriis denunciet eis, quod sicut Adam projectus est de Paradiso, ita ipsi pro peccatis ab ecclesia abjiciuntur. Post hæc jubet ministris, ut eos extra ja-*

(I) In Reginonis exemplaribus habetur *prostratis*.
(II) Item : *cum testibus, idest presbyteri pœnitentium*.

nuas ecclesiæ expellant; clerus vero prosequatur eos cum responsorio: in sudore vultus tui vesceris pane tuo &c., *ut videntes sanctam ecclesiam pro facinoribus suis tremefactam atque commotam non parvipendant pœnitentiam. In sacra autem Domini Cœna rursus ab eorum decanis & eorum presbyteris ecclesiæ liminibus repræsententur.*

CAPUT VIII.

De presbyterorum potestate circa sacramenti pœnitentiæ administrationem post sæculum duodecimum.

Quamvis sæculo decimotertio fere obsoleta esset pœnitentiæ publicæ disciplina: nihilominus tamen, cum adhuc quædam habeantur publicæ pœnitentiæ exempla, ex eis liquido apparet illius administrationem episcopo servatam esse. Sed apposite advertit Morinus de pœnit. l. 5. c. 25. hoc sæculo distingui cœpisse publicam pœnitentiam, in publicam & solemnem. Cum enim pœnitentia publica quibusdam ritibus & solemnitatibus ab episco-

pis imponeretur, ab eaque pœnitentes solverentur, per duodecim sæcula omnis pœnitentia publica etiam solemnis reputata fuit, nullumque hujus distinctionis indicium ante sæculum decimum tertium, teste Morino citato loco. At cum circa publicam pœnitentiam varia fuerit ecclesiæ disciplina, conciliorumque decreta secundum temporum varietatem (1), hancque disciplinæ disparitatem & mutationem apud Gratianum, cujus Decretum brevi scholas omnes pervaserat, suo aspectu expressam legerint scholastici potissimum distinc. 50., qua perhibetur, nulla temporum servata differentia, vel auctorum delectu, non attendentes, qua ratione canones uni eidemque pœnitentiæ publicæ possent pro discrimine temporum & locorum applicari, duplicem animo conceperunt pœnitentiam publicam, solemnem videlicet & non solemnem, atque

(1) Varietatis disciplinæ circa publicam pœnitentiam plurima habentur exempla apud Morinum de pœnitentia. Inter alias a sæculo quarto usque ad septimum pœnitentes tanquam irregulares ad ordines sacros non promovebantur, negotia sæcularia capessere, matrimonium contrahere, ac contracto uti non poterant: postea vero contrarium statutum fuit; idem dicito de pluribus aliis immutationibus factis.

ita canones sibi invicem adversantes conciliarunt, ut tradit Morinus supracitato capite.

Quidquid tamen de hoc sit, decimo tertio sæculo duplicis pœnitentiæ distinctio in publicam & solemnem invaluit, quibus si privatam addis, triplicem habes pœnitentiam. Publicæ & privatæ administratio presbyteris, scilicet iis, quibus ex institutione & munere conveniebat, libera fuit, solemni tamen episcopo vindicata, quæ una veteris pœnitentiæ publicæ specimen præseferebat. Audiatur Robertus de Flammesburg, qui in suo pœnitentiali accurate triplex pœnitentiæ genus exponens, cuique proprium ministrum assignat, inquiens: *Pœnitentia alia solemnis, alia publica, alia privata. Solemnis est, quæ fit in capite jejunii, quoniam cum solemnitate in cinere & cilicio ejiciuntur pœnitentes ab ecclesia. Hæc etiam est publica, quia publice fit. Publica & non solemnis est, quæ fit in facie ecclesiæ sine supradicta solemnitate, ut peregrinatio. Privata est illa, quæ quotidie fit privatim coram sacerdote. Solemnem pœnitentiam non injunget aliquis nisi episcopus, vel aliquis ejus auctoritate .... Publicam pœnitentiam, sicut*

& privatam, simplex injungit sacerdos & quolibet tempore. His similia habet s. Raymundus l. 3. summæ cap. de pœnit. & remiss. §. 6.: *Pœnitentia alia est solemnis, alia publica, alia privata. Solemnis est, quæ fit in capite quadragesimæ cum solemnitate .... Hæc debet imponi ab episcopo tantum, vel de mandato ejus a sacerdote*. Vide etiam, si lubet, Alexandrum Alensem l. 4. q. 14., s. Thomam in suppl. q. 8. art. 3., vel in 4. senten. distinc. 14. q. 1. art. 5., cardinalem Hostiensem l. 5. summæ cap. de pœnit. & remiss. num. 55., quo etiam tradit episcopos demandare non posse presbyteris pœnitentiæ solemnis administrationem, *quia episcopalis officii est, non sacerdotalis*, contra tamen opinionem aliorum. Hi omnes sæculo 13. floruere. Hoc idem evidenter eruitur etiam ex summorum pontificum decretis. Consule Gregorium IX. in decreto de officio archipresbyteri, & extravag. commun. de privilegiis cap. *inter cunctas*.

Nonnulla autem posterioribus sæculis pœnitentiæ solemnis vestigia habentur, cujus administratio episcopis vel pœnitentiariis continuo vindicatur. Concilium Vintoniense anni 1380.: *Statuimus, ut si ali-*

quis laicus de enormi convictus crimine, propter quod ei de jure pœna publica indici debeat, aut solemnis .... laicos hujusmodi ad nostros pœnitentiarios mitti volumus pro recipienda condigna pœnitentia de commissis &c. Synodus vero Lingonensis anni 1404. vetat omnino, ne parochi eorumque vicarii publicas & solemnes decernerent pœnitentias, cui non absimile decretum legitur in constitutionibus synodalibus Lingonensib. anni 1421.

Recentiora sæcula persequi operæ pretium non est, cum paucissima reperiantur crimina pœnitentiæ solemni addicta. Ne quis tamen episcopale jus circa illius administrationem omnino obliteratum esse autumet, afferam concilii 3. Mediolanensis sub s. Carolo celebrati decretum titulo *de iis, quæ ad pœnitentiæ sacramentum pertinent*, quo hæc habentur: *Studeat episcopus ad sacrorum canonum & Tridentini concilii præscriptum, pro publicorum delictorum gravitatis ratione, & publicam & solemnem pœnitentiam in usum revocare. Quos vero ita solemniter pœnitere oportet, mense ante quadragesimæ initium ad se per parochos deferri curet, ut primum ineunte quadragesima, illi pœnitentia affici,*

tum die Cœnæ Domini ecclesiæ reconciliari possint stato solemni ritu. Quod etiam renovavit in concilio Mediolanensi 5., & ut utriusque concilii decretum executionem haberet, statuit in synodo diœcesana undecima, *ut si qui tale facinus commiserint, ut pœnitentia publica & solemni satisfacere debeant, eorum nomina parochi mense ante quadragesimæ initium ad nos deferant, ut ineunte quadragesima ex instituto ecclesiæ rite ea pœnitentia imponatur.*

Ex iis, quæ diximus de publicæ seu solemnis pœnitentiæ intermissione, facile quis suspicabitur, tandem aliquando sic ampliatam esse presbyterorum potestatem, ut ferme nullum esse deberet peccatum, quod illam excederet: ita tamen res se non habuit. Nimis enim sanctis præsulibus cordi erat ingravescentibus undique malis propter canonicæ pœnitentiæ cessationem aliquod comparare remedium, labefactatæ disciplinæ aliquem imponere modum: hinc pœnitentiæ publicæ casuum & censurarum, ut vocant, reservationes subrogarunt, ut graviorum criminum punitionem primariis ac sapientioribus judicibus, majorum infirmitatum curam peritioribus medicis servarent; proindeque editis ubique casuum &

censurarum catalogis vel in synodalibus conventibus vel in provincialibus conciliis episcopi & sibi & summis pontificibus enormium delictorum vindicarunt cognitionem.

Jam usque a sæculo nono cœperunt episcopi summo pontifici remittere quosdam graviorum criminum reos, ut constat ex libr. 3. de gestis sanctorum Rotonensium cap. 1. sæculo quarto Benedictino; quod tribus posterioribus sæculis continuatum esse liquet ex Morino de pœnit. l. 7. cap. 9. & 16., & ex Thomassino de veteri ecclesiæ disciplina p. 1. l. 2. c. 13., qui insuper addit, hoc eo consilio factum fuisse, *ut invictissimi obices objicerentur criminum impunitati, & pœnitentiæ satisfactionesque responderent enormitati criminum*. Hæ autem reservationes rationem adhuc habebant pœnitentiæ canonicæ; cum enim juxta illius temporis morem, nemini pœnitentia imponeretur, vel venia daretur a summo pontifice, nisi eidem ille ipse se sisteret: iter nec non pœnæ, quæ a pontifice censebantur, pœnitentiam publicam redolebant. Nota tamen, quod licet multitudo maxima esset pœnitentium, quæ ad pontifices maximos se confere-

bat (1), nihilominus nullam peccatorum integram speciem reperi singillatim servatam papæ ante sæculum 12., sed duntaxat plures atrociorum criminum reos ad papam proficisci jussos ab episcopis, vel sponte Romam confugisse, ut eis pœnitentiæ series & ordo præscriberetur, nec non etiam pœnitentiæ levamen aliquod propter itineris molestias & testatam ad sancta apostolorum limina devotionem, a pontificia clementia obtinerent, vel aliquoties etiam reconciliationem consequerentur.

At anno 1131. prohibitum fuit in concilio Rhemensi, ne episcopi ab excommunicationis vinculo solverent clericorum & monachorum percussores, donec adirent pontificem, & rescriptum obtinerent, quo significaretur episcopis, qua ratione erga eos se gerere deberent; quod anno 1139. in concilio Lateranensi 2. confir-

(1) Ex allatis a Morino & Thomassino monumentis liquet plurimos Romam confugisse pœnitentes. Inter alia consule epistolam Nicolai ad Rivoladrum episcopum, qua apud Morinum hæc habentur: *Undique venientes admodum plurimi suorum facinorum proditores quantum dolorem inferant pectori nostro, plus singultu reminiscimur, quam calamo scribi queat.*

matum est; nec non alterum ejusdem concilii canonem, quo mandatur episcopis, ne incendiariis veniam concederent, donec *Hierosolymis aut in Hispania in servitio Dei per integrum annum militassent*. Mos enim tunc invaluerat, ut militia contra Saracenos pro pœnitentia indiceretur. In concilio vero Avenionensi anni 1209., cui aderant cum pontificiis legatis episcopi provinciarum Viennensis, Arelatentis, Ebrodunensis, & Aquensis, sancitum est: *Contra publice perjuros, seu convictos de perjurio, & eos, qui pertinaciter per sex menses permanserint, pro eo, quod faciles sunt homines ad perjuria, & ad censuram ecclesiasticam contemnendam, specialem & novum canonem promulgamus, scilicet, ut nulli episcoporum liceat hujusmodi anathematizatos absolvere, sed ad sedem apostolicam, sicut sacrilegi & incendiarii, absolvendi mittantur*. Ab his tamen peregrinationibus excipiebantur mulieres, senes, pueri, ægrotique, a quibus tamen Romanum iter subeundum erat, si convaluissent (1). Hæc generatim indicata circa delicta pon-

(1) Vide caput 22. de senten. excom.

tificibus reservata satis sint, ut presbyterorum auctoritatis limitatio ex pontificiis reservationibus proveniens innotescat. Qui plura desiderat, adeat Thomassinum citat. loco, a quo hæc excerpsi.

Verum, si episcopi ad conscribendam etiam propriam auctoritatem in pœnitentiæ administratione conspirarunt, ut pristinæ disciplinæ aliquo modo consulerent, quibusnam angustioribus limitibus definitam fuisse presbyterorum potestatem dicendum erit? Sane si pervolutabuntur conciliorum acta decimi tertii & sequentium sæculorum (1), patebit iisdem plus minusve ab epi-

(1) Vide inter alia synodum Parisiensem ab Oddo de Sulli celebratam circa annum 1200., synodum Londinensem anno 1200., Cicestrensem ann. 1246. c. *de pœnitentia*, Cenomanensem ann. 1247. c. *de his, qui mittendi sunt ad episcopum*, Santonensem ann. 1280., Nemausiensem 1284., concilium Ravennatense 1286., Nicosiense seu Nimociense 1298., Avenionense 1326., synodum Augustanam 1355. Consule etiam caput 7. regulæ s. Francisci ab Onorio 3. ann. 1223. confirmatæ, quo habetur: *Pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres, ut recurratur ad solos ministros provinciales, teneantur prædicti fratres ad eos recurrere*.

His addi potest Henricus cardin. Hostiensis lib. 2. de pœnit. & remiss. c. 74., nec non *summa s. Raymundi* in compendium redacta, quam in membranis

scopis coercitam finibus tunc fuisse, quibus modo. Mens mihi erat comparationem quandam instituere inter veteres & recentes casuum & censurarum reservatarum tabellas: at nimis longa & molesta evaderet hæc inquisitio, ideoque ejus loco casuum reservatorum catalogum, quem sanxit synodus provincialis Bergomi habita a Castono sive Cassono Mediolanensi archiepiscopo, quam edidit Muratorius tom. 9. Scriptorum Rerum Italicarum, referam; cui si hodiernum casuum reservatorum indiculum

---

exaratam pro summo, quo litteris favet, studio humanissime mihi commodavit clariss. Josephus Beltramellus Bergom. patritius, de cujus antiquitate fidem hæc faciunt, quæ ante indiculum capitulorum habentur: *Incipiunt capitula in libro de pœnitentia excepta de summa magistri Raymundi & de apparatu ejus. Anno Domini MCCCV.* Eodem autem charactere, quo summa excerpta est, adjiciuntur quædam alia capitula, quorum primum inscribitur, *quando quis debeat remitti ad superiorem*, in eoque plura recensentur delicta ecclesiæ præsulibus reservata. An hæc summa eadem sit, quæ typis prodiit Coloniæ ann. 1505. Caveo teste, & quisnam ejusdem auctor fuerit, cujus fortasse indicium præbet ipsius operis inscriptio, quæ ita se habet, *hic incipit summa magistri Raymundi de pœnitentia excepta ex libro magistri Raymundi de apparatu ejus &c.*, enucleabit laudatus Beltramellus in suorum indice manuscriptorum, qui in summa est apud eruditos expectatione.

conferatur, quisque videbit arctiori forsan limite tunc temporis presbyterorum jurisdictionem circumscriptam fuisse. Eodem modo, si libuerit, pro aliis provinciis, si veteres catalogi casuum reservatorum supersunt, collationem quisque facere potest. Hæc igitur synodus Bergomensis rub. 29. (1):

Primo videlicet de excommunicato quacunque excommunicatione lata ab homine, constitutione aliqua, vel a jure.

II. De hæretico credente vel fautore vel participatore scienter hæretico & eorum etiam defensore.

III. De committente incestum in ter-

(1) Saxius in serie archiepiscoporum Mediolanensium t. 2. de hoc concilio hæc habet: *Coacta est hæc synodus 3. nonas Julias ann. 1311. in ecclesia s. Bartholomæi. In eo concilio condita sunt 34. statuta, quibus indicta castigatior clericorum vita, restitutus ecclesiæ cultus, vindicata denique fuit a laicorum rapinis probrisque bonorum ac personarum Deo addictarum immunitas. Quod tamen peculiari adnotatione dignum videtur, idest colligi ex his canonibus, quod intactus adhuc in nostra metropoli Mediolanensi mos ille priscus vigeret, ut regulares familiæ ordinario jure episcopis subjicerentur: clariss. enim Tomassinus in aureo opere de antiqua & nova ecclesiæ disciplina p. 1. l. 3. c. 28. testimonia congerens ad hanc firmandam superiorum temporum praxim non ultra sæculum 13. progreditur. At in Mediolanensi provincia subsequente etiam sæculo illam perdurasse docet hæc synodus.*

tio gradu vel proximiori ſanguinitatis vel affinitatis.

IV. De muliere profeſſa regularem obſervantiam adulterium perpetrante.

V. De contrahente matrimonium de facto cum aliqua, prima uxore vivente, & etiam e converſo.

VI. De ſuſcipiente ordinem ſacrum, vel religionem intrante, invita uxore, poſt carnalem copulam ſubſecutam.

VII. De conjuge, qui in mortem alterius cum effectu fuerit machinatus.

VIII. De muliere ex alio viro filium concipiente, quem vir proprius filium credit eſſe ſuum, & tanquam proprium illum nutrierit, vel ſibi partum ſupponente alienum, & de ad hæc dantibus conſilium auxilium vel favorem.

IX. De virginum vi oppreſſarum vel raptarum defloratione.

X. De perimente prolem propriam ſtudioſe, vel etiam negligenter.

XI. De procurante ſceleritatem in aliqua vel ſeipſa quomodolibet, vel abortum.

XII. De perpetrante homicidium ſponte, facto, præcepto, conſilio, vel oratione, vel aliquo quovis modo.

XIII. De commutatione voti vel ejus juramenti.

XIV. De his criminibus, quibus est gravis pœna injungenda.

XV. De simoniaco quovis modo, præterquam si mortalis fuerit simonia.

XVI. De illo, qui detinet illicite beneficium ecclesiasticum, vel bona ecclesiastica sive jura.

XVII. De incendiariis & famosis latronibus.

XVIII. De sacrilegium committente, & ecclesiam publice polluente sanguinis, aut seminis effusione cujusquam.

XIX. De violatore ecclesiasticæ libertatis.

XX. De tonsuratis vel promotis ad ordines per alienum episcopum, suo antistite non consulto.

XXI. De celebrante excommunicato, suspenso, aut etiam interdicto.

XXII. De presbytero revelante peccatum in foro pœnitentiali sibi detectum.

XXIII. De celebrante cum sacris vestibus solemniter & publice in sacro ordine, quem non habeat.

XXIV. De clerico fornicatore publico, vel concubinario manifesto, item de

clericis scienter recipientibus in cœmeterio ecclesiæ, vel (in) *ecclesia sepelientibus corpus scienter alicujus excommunicati, suspensi, vel etiam interdicti.*

XXV. De abluente ostia sacro oleo vel chrismate.

XXVI. De sortilegis, divinis, & dæmonum invocatoribus.

XXVII. De falsum testimonium proferente, vel falsitatis seu falsarii procurante instrumentum, litteras vel sigillum alienum in præjudicium alicujus.

XXVIII. De irrogante patri vel matri enormem injuriam corporalem.

XXIX. De blasphemante publice Deum vel sanctos ejusdem.

XXX. De suspensis, excommunicatis, vel interdictis, aut transgressoribus constitutionum provincialium vel synodalium antistitis cujuscunque.

Quamvis in provincia Mediolanensi casus reservati editi habeantur tantummodo suprarelato concilio anni 1311., & in quibusdam aliis provinciis etiam posthac; sciendum tamen est etiam antea fuisse in unaquaque diœcesi crimina a solis episcopis vel eorum pœnitentiariis castiganda & remittenda; viguerat enim mos etiam sæculo

13. servandi ecclesiæ præsulibus quorundam facinorum absolutionem, ut apertissime tradit s. Thomas in opusculo contra impugnantes religionem c. 4., quo inquit: *Sed sicut communis consuetudo probat, episcopi assumunt sibi casus, quos volunt, de quibus ad eos pro absolutione recurratur*; & concilium Ravennatense anni 1286., postquam longam criminum seriem episcopo reservatorum texuerit, hæc addit: *In quibus de consuetudine generali vel speciali episcopis reservatur confessio*. His non absimilia Avenionense anni 1326., quod declarat plures casus episcopo fuisse reservatos *jure, consuetudine, vel statuto provinciali, vel synodali*.

Fortasse quis sibi non facile persuadebit invaluisse, ut sola consuetudine servaretur episcopis quorundam criminum absolutio sæculo præsertim 13., quo vix pœnitentia publica cessarat. At nemo non videt hanc consuetudinem ex ipsa pœnitentiæ publicæ disciplina originem ducere. Cum enim peccata publicæ pœnitentiæ obnoxia non nisi ab episcopis condonarentur secundum veterum canonum sanctiones, hinc factum est, ut licet obsoleta fuerit pœnitentia publica, adhuc mos obtinuerit,

ut nonnisi ab episcopis, aut eorum pœnitentiariis reconciliarentur, qui delictis olim pœnitentia publica mulctatis rei extitissent. Ex quo liquet præsentium reservationum praxim non esse aliquid novi recens in ecclesiam invectum, sed retentam exiguam veteris pœnitentiæ publicæ particulam.

Antequam huic dissertationi finem imponam, animadvertendum insuper est, licet post sæculum septimum crimina duntaxat publica pœnitentia solemni eluenda essent: episcopos tamen in criminum reservatorum catalogis, quos 13. & sequen. ediderunt, pristinam de hac re disciplinam innovasse, sibi vindicantes absolutionem etiam a peccatis occultis. Hinc, ut prisci canones, absolute vetant presbyteros, ne talium peccatorum reos reconcilient, imo in quibusdam decretis apertissime indicitur, ut etiamsi occulta fuerint, reservata censeantur, ut inter alia in concilio Lambetensi ann. 1281.

Ex quibus omnibus patet semper in ecclesia Dei cautum fuisse, ut publica pœnitentia a solis episcopis, vel ad summum non nisi de speciali eorum licentia a presbyteris imponeretur, nec non ab iis solis pœnitentes publici reconciliarentur; ex quo

factum est, ut plus minusve, prout plura vel pauciora fuerint crimina eidem pœnitentiæ obnoxia, presbyterorum auctoritas circumscripta semper fuerit. Quod si posterioribus sæculis desiit pœnitentia publica, nihilominus eadem ferme crimina consuetudine & statutis episcoporum judicio & auctoritati reservata fuerunt ita, ut non sit, cur quidam recentiores de hodierna episcopali reservatione conquerantur.

Comment pourroit-on louer ceux que tous les conciles, tous les canons, tous les saints Pères condamnent ? Il n' est pas ici question de disputer d' un point problématique et embrouillé ? Il est plus clair que le jour, que le plus grand défaut en matière de jugement est celui de la jurisdiction, et que celle qui est nécessaire pour l' administration valable du sacrement de pénitence, réside en l' évêque diocésain, à l' égard des ames, qui lui sont commises. *Clariss.* GODEAU *in epistola ad clerum Gallicanum in comitiis generalibus congregatum ann. 1650. Ex collect. actor. cleri Gallicani t. 5. p. 3. tit. 5.*

DISSERTATIO
II.

Inanem & omni effectu cassam habitam semper fuisse in ecclesia absolutionem a presbytero impertitam sine episcopi institutione vel delegatione ostenditur.

CAPUT I.

Nonnullis patrum & conciliorum, quæ ante XII. *sæculum celebrata sunt, testimoniis demonstratur nullius momenti esse absolutionem a presbytero datam injussu episcopi.*

Inter argumenta, quæ urgent auctores, qui contra communem theologorum & canonistarum sententiam, qua docemur nul-

lam & irritam esse absolutionem a presbytero datam sine episcopali institutione, quo verbo intelligitur provectio ad parochialium ecclesiarum regimen, aut delegatione, qua simplicibus presbyteris pœnitentiæ sacramentum administrandi facultas singillatim impertitur, quod non novum, imo antiquissimum est, contendunt illicitam quidem, sed validam esse absolutionem a reservatis criminibus, illud est præcipuum, quod ex patrum & veterum conciliorum silentio deducunt, affirmantes non haberi ante 10. sæculum monumentum, quo hæc nostra confirmetur doctrina. Non equidem hæc asserunt, quia prorsus ea ignoraverint, quæ nos supra attulimus, satis cæteroquin perspicua, in quibus episcopis jus vindicatur publicas pœnitentias imponendi, pœnitentesque reconciliandi, sed quia omni, licet irrito conatu, satagunt eadem exponere de sola prohibitione, quæ, juxta eorum absonam & toti antiquitati contrariam opinionem, inanem & cassam non faciat ita attentatam absolutionem, hac una de causa, quod plane non dicunt nullam reconciliationem a presbytero concessam in publica missa.

Verum quam inepte ista interpreten-

tur, audiant ab eruditissimo Thomassino, qui, postquam nonnullos eorum, quos nos supra exscripsimus, canones retulerit, hæc subjicit p. 1. l. 2. c. 12. de eccles. discip.: *Sed & id liquet rursus, quamquam remittendorum peccatorum potestas inserta & adnata quodammodo sit ordinationi presbyterorum: disciplinæ tamen vi ac rigore ita eam ab ipsis usque exordiis ecclesiæ intra certos cancellos cohibitam esse, ut expatiari ultra non potuerit, & irrita fuerit absolutio, seu criminum episcopo reservatorum, seu personarum ab episcopo presbyteris non subditarum. Quod qui suspicantur posterioribus ecclesiæ sæculis innovatum fuisse, næ illi allucinantur vehementer, & hospites se ac peregrinos omnino produnt in antiquorum conciliorum canonumque disciplina.*

Revera cum nondum scholasticæ illæ distinctiones *illiciti & invalidi* invectæ fuerint, pluries verbis *non licere, non posse* irritum & inane, si secus quid attentatum fuisset, apertissime veteres declararunt. Sic illi sanctissimi & doctissimi viri, qui, cum non adhuc illa controversia eliquata esset, & alii, qui in eo errore perseverarunt, senserunt reiterandum esse baptisma ab hæreticis collatum eo, quod il-

lud nullum omnino crederent, hos loquendi adhibent modos. S. Cyprianus epist. 70. ad Januarium: *Censentes... & pro certo tenentes neminem foris baptizari extra ecclesiam posse*. Et in epist. 73. ad Jubajanum: *Pro certo scimus, & fidimus nihil illi* (Novatiano scilicet) *extra ecclesiam licere, & baptisma, quod est unum, apud nos esse*. Quas voces pluries in hisce aliisque epistolis repetit in eodem sensu. Fortunatus a Tucabori in concilio 3. Carthaginensi de rebaptizandis inter opera Cypriani: *Qui extra ecclesiam sunt... baptizare foris non possunt*. Successus ab Abbio Germaniciana apud s. Augustinum l. 6. de baptismo contra Donatistas c. 23.: *Hæreticis aut nihil licet, aut totum licet. Si possunt baptizare, possunt & Spiritum Sanctum dare*. Victoricus a Thabraca apud eundem cap. 32.: *Si licet hæreticis baptizare & remissam peccatorum dare &c.* Libro autem 7. c. 10. Felix a Marzana dixit: *Unum baptisma, sed ecclesiæ catholicæ, cui soli licet baptizare*; in quibus omnibus his verbis *non licet, non possunt hæretici baptizare* nullum eorum fuisse baptismum intelligunt.

Ut tamen etiam adversariis, qui hu-

jusmodi canonibus acquiescere nolunt, satisfiat, quædam clariora veterum testimonia referenda sunt, quibus evidentius constet irritas agnitas fuisse criminum absolutiones citra episcoporum licentiam datas. S. Ignatius igitur in primis ad Smirnæos hæc habet: *Consentaneum est deinceps resipiscere, & dum adhuc tempus habemus ad Deum per pœnitentiam redire. Bene habet Deum & episcopum respicere. Qui honorat episcopum, a Deo honoratus est. Qui clam episcopo aliquid agit, Diabolo præstat obsequium.* Satis liquet s. Ignatium ad reconciliationem obtinendam non solum conversionem ad Deum, sed etiam ad episcopum confugium exigere ita, ut qui criminum veniam a Deo consequi imaginaretur, contempto episcopo, non solum nihil impetraret, sed obsequium præstaret Diabolo.

S. Cyprianus epistola 9. ad clerum illustre nobis suppeditat testimonium, ad cujus pleniorem intelligentiam nonnulla prænotanda sunt, quæ ex ipsius epistolis & vita operibus præmissa excerpsi. Consuetudo erat ecclesiæ, ut lapsis, qui libellos a confessoribus assequebantur, aliquid de canonica pœnitentia episcoporum judicio con-

donaretur. Non ignorabat Cyprianus, qui sæviente Decii persecutione justissimis de causis secesserat, quinque presbyteros *fomenta quibusdam confessoribus & hortamenta tribuere, ne cum episcopo concordarent*, ut liquet ex epist. 40., sed tamen cum res ad ipsius reditum integra servaretur, nec in hac libellorum licentia quidquam lapsis ante ecclesiæ pacem & episcopi judicium promitteretur, dissimulavit, *diu*, ait epist. 9., *patientiam meam tenui, quasi verecundum silentium nostrum proficeret ad quietem*. Verum, cum quinque presbyteri injussu ipsius lapsis pacem & eucharistiam dederint, tunc supracitatam epistolam ad clerum misit, qua hæc scribit: *Quod non periculum metuere debemus de offensa Domini, quando aliqui de presbyteris nec evangelii nec loci sui memores, sed neque futurum Domini judicium, neque nunc sibi præpositum episcopum cogitantes, quod nunquam omnino sub antecessoribus factum est, cum contumelia & contemptu præpositi totum sibi vindicent? Atque utinam non prostrata fratrum nostrorum salute sibi omnia vindicarent? Contumeliam episcopatus nostri dissimulare & ferre possem, sicut dissimulavi semper, & pertuli. Sed dissimulandi*

nunc locus non est, quando decipitur fraternitas nostra a quibusdam vestrum, qui dum sine ratione restituendæ salutis plausibiles esse cupiunt, magis lapsis obsunt. Hac pace igitur, seu reconciliatione a presbyteris data decipiuntur lapsi, ipsis obest. Quomodonam ergo rata & valida dici poterit?

Cum vero quinque presbyteri epistolæ Cypriani non obtemperassent, sed in Felicissimi partes, qui in ecclesia Carthaginensi schisma conflaverat, aperte se transtulissent, Cyprianus in epistola 55. ad Cornelium papam, qua innocentiam suam adversus Felicissimi calumnias defendit, de pace loquens ab ipsis temere data lapsis, inquit: *Pax vera falsæ pacis mendacio tollitur, salutaris sinus matris, noverca intercedente, præcluditur*. Et in libro de lapsis col. 443. edit. Venetæ anni 1758.: *Irrita & falsa pax periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura*. Quid præclarius esse potest?

Cl. Litta in sæpe citata epistola p. 36. testimonium Cypriani ex epistola 9. depromtum accipi posse de sacramentali absolutione inficiatur; inquit enim: *Egli*, (Cyprianus) *parla de' preti, che rimet-*

tevano senza licenza del vescovo le pubbliche penitenze, non parla di assoluzione sacramentale, e quel che è più, non parla di nullità.

Ex allatis testimoniis quisque videt, an illicitam duntaxat, an vero etiam nullam dixerit Cyprianus reconciliationem a quinque presbyteris concessam lapsis. Quomodonam enim reconciliatio, quæ noxia, irrita, falsa pronunciatur, valida & rata esse potest?

Quod autem de sola pœnæ, non autem criminis condonatione loquatur Cyprianus, falsum omnino est. Jam enim in superiori dissertatione ostendimus commentitiam prorsus esse excogitatam absolutionem a pœna distinctam ab absolutione a culpa; & animadvertimus illa ætate ecclesiæ ministros eadem absolutione, qua quis a culpa absolvebatur, etiam a pœna illum absolvere intendisse. Igitur si hi presbyteri pœnitentiam lapsis condonarunt, etiam culpæ remissionem tentasse dicendum erit, cum una sine altera non concederetur, imo pœnæ remissio consequeretur necessario remissionem culpæ. Præterea constans fuit ecclesiæ institutum, revelationi innixum, consuetudine usuque firmatum, ut antequam

ad sacram mensam admitterentur pœnitentes, clavium ministerio a peccatis liberarentur. Quare ergo hoc prætermissum fuisse ab hisce presbyteris existimandum erit? Deinde a peccatis absolutos fuisse hos lapsos a quinque presbyteris non obscure indicat vel ipsemet Cyprianus in citata epistola 9., cum ait: *Dum restituendæ salutis plausibiles esse cupiunt, magis lapsis obsunt.* Salutis enim restitutio criminum absolutionem significat, non meram pœnitentiæ publicæ relaxationem.

Non dissimulandum tamen s. Cyprianum, dum irritas declaravit hasce reconciliationes, insistere etiam in præpropera festinatione, qua absque pœnitentiæ laboribus concessæ fuerunt. Sed animadvertendum est, quod Cyprianus, licet reconciliationes contra ecclesiasticas sanctiones, videlicet ante præstitutum pœnitentiæ tempus datas, vehementer improbet, ratas tamen habet, dummodo ab episcopo, vel de ejus mandato a presbytero impertitæ fuerint. Therapius episcopus cuidam Victori presbytero nondum absoluta pœnitentia, nullaque necessitate cogente, veniam clargitus erat. Fidus episcopus id significavit concilio, cui præerat Cyprianus; concilium

vero per Cyprianum sic respondit epistola 59. inter Cypriani epistolas : *Quæ res nos satis movit, recessum esse a decreti nostri auctoritate, ut ante legitimum & plenum tempus satisfactionis, & sine petitu & conscientia plebis, nulla infirmitate urgente ... pax ei concederetur. Sed librato apud nos diu consilio, satis fuit objurgare Therapium collegam nostrum, quod temere hoc fecerit, & instruxisse, ne quid tale de cætero faciat. Pacem tamen quomodocunque a sacerdote* (episcopo scilicet, ut in superiori dissertatione monuimus voce sacerdotis episcopum intelligendum) *Dei semel datam non putavimus auferendam, ac per hoc Victori communicationem sibi concessam usurpare permisimus*. Inepta igitur existimabatur a Cypriano causa abrogandæ pacis datæ sola prætermissio canonicarum pœnarum. Siquidem pœnitentiæ labores necesse non est reconciliationi præmitti. Valide enim sacramentum pœnitentiæ recipere quisque potest, antequam peccati pœnas luat, ut unicuique compertum est. Hinc, licet patres a peccatoribus satisfactiones canonicas exigerent prius, quam veniam eis concederent, ut de retroactæ vitæ dolore & morum emendatione certiores fierent :

persuasum tamen ipsis erat, uno momento, ut ita dicam, salutarem contritionem concipi posse. Tot enim in ecclesiastica historia reperiuntur criminum absolutiones datæ ante pœnitentiæ actionem, rationabili urgente causa, ut extra omne dubium rem ponant. Et ne alio exempla quærantur, ex eodem Cypriano liquet sceleratissimis hominibus ab ecclesia profugis, animi postea dolorem ore demonstrantibus aliquoties pacem & communionem, nulla vel minima acta pœnitentia redditam fuisse. Vide epistolam Cornelii ad Cyprianum inter Cypriani epistolas 46., & responsum Cypriani ad Cornelium epistola 47., Cypriani ad Antonianum 52., & denuo ad Cornelium 54., & 55., aliasque, in quibus etiam hujus œconomiæ ac lenitatis rationes afferuntur. Quare licet Cyprianus reconciliationes supra relatas a presbyteris impertitas, etiam eo quod temere ante pœnitentiæ actionem datæ fuerint, damnet: nullius tamen momenti eas habuit eo, quod ab illegitimis ministris concessæ fuerunt; cum sola pœnitentiæ publicæ omissio satis non sit Cypriano ad absolutiones irritandas.

Alterum argumentum suppeditat nobis

epistola 5., alias 4. Damasi papæ apud Labbeum t. 2. col. 1025., qua de chorepiscopis agens hæc tradit: *Quidquid inter episcopos aut de rebus ad eos solummodo pertinentibus egerint* (chorepiscopi) *necesse est, ut irritum fiat*. Paulo post recenset ea, quæ episcoporum sunt propria his verbis: *Quod vero eis non liceat sacerdotes consecrare .... nec publice quidem in missa quemquam pœnitentem reconciliare ... nec pœnitentem sine præceptione episcopi sui reconciliare*. Irrita ergo & nulla erat secundum Damasum pœnitentium reconciliatio, quam chorepiscopi elargiebantur. Equidem hæc subdit: *Et ideo quidquid ex supradictis ministeriis pontificalibus præsumebant, irritum erat, & nihil tactis proficiebat ... Reiterari necessum est, quod legitime actum, aut collatum minime approbatur, si perfectum esse debebit*. Nil clarius esse potest.

Eruditi hanc epistolam Damaso summo pontifici suppositam esse contendunt; quod egomet ipse non diffiteor. Ergo ne nullius momenti? Nequaquam. Enim vero sæculo ecclesiæ nono utique tanquam genuina suscepta fuit, & a summis pontificibus & conciliis Damaso attributa, quod

argumento est illius doctrinam non abhorruisse a communi illorum temporum sensu. Quare si de sæculis nono anterioribus fidem facere non potest, quis tamen inficias iverit locupletem testem esse de sententia, quæ sæculo 9. & posterioribus vigebat circa hujusmodi reconciliationes.

Præterea cum in Gallia & Germania tempore Caroli Magni gravissima dissidia excitata essent circa chorepiscopos, eorumque potestatem, imperator vero & episcopi archiepiscopum Arnonem Romam ad Leonem III. summum pontificem misissent, ut ipsum hac de re consulerent, & ita omnis dirimeretur controversia: pontifex archiepiscopo respondit quæstionem hanc jam a prædecessoribus suis definitam fuisse, nec alia definitione opus esse, ut liquet ex capitulari Aquisgranensi c. 4. (1).

(1) Hoc capitulare factum fuit in magna synodo, sive *universali*, ut habent annales Anianenses & Canigonenses, & qui editi sunt a clariss. Lambecio, Aquisgranensi, quæ congregata fuit anno 802. a Carolo Magno, cui præfuit Paulinus patriarcha Aquilejensis vices apostolicæ sedis gerens. Vide clariss. Baluzium in notis. P. de Rubeis p. 386. in monum. eccl. Aquilejensis contendit concilium hoc habitum fuisse ann. 801., dubitatq, an eidem intervenerit Paulinus,

A quibus, quæso, prædecessoribus suis hæc quæstio definita fuit ? Nisi in supposititiis epistolis a Joanne III. epistola unica, Leone I. epistola 88. alias 86., & præsertim a Damaso in citata epistola, ex qua etiam plurima verba, quæ in citato capitulari referuntur, depromta sunt, ut capitulare cum Damasi epistola conferenti patebit. Itaque licet Damaso hæc epistola falso adscripta fuerit, cum a Leone III. probata, & episcopis Galliæ & Germaniæ proposita fuerit tanquam decretum peremptorium, ab ipsomet Leone III. pontificiam mutuavit auctoritatem, nec non ab episcopis & conciliis, quæ illam acceptarunt, & promulgarunt, vim legis accepit, inter quæ non omittendum sane concilium Metense anno 888., quod canone 8. & verum seu sincerum Damasi opus esse tradit, & illius sententiam sequitur, dum dedicari rursus

quem e vivis excessisse tradit mense Januario ann. 802., In hoc capitulari notatu digna hæc verba : *Quod jurgium cum enucleatius discutere voluissemus, placuit nobis ex hoc apostolicam sedem consulere, jubente canonica auctoritate, atque dicente : Si majores causæ in medio fuerint devolutæ, ad sedem apostolicam, ut sancta synodus statuit, & beata consuetudo exigit, incunctanter referantur.*

præcipit ecclesias a chorepiscopis consecratas, propterea quod summi pontifices Damasus & Innocentius & Leo resciderunt, quidquid pontificalium munerum usurpaverint chorepiscopi: *Et ut basilicæ a chorepiscopis consecratæ, ab episcopis consecrentur, roboratum est; quia juxta decreta Damasi, Innocentii & Leonis vacuum est atque inane, quidquid in summi sacerdotii chorepiscopi egerunt ministerio.*

Hanc autem doctrinam a concilio Metensi traditam, qua scilicet asseritur illud omne irritum & inane habendum esse, quod de pontificiis muneribus sibi usurparunt chorepiscopi, pluries jam ante comprobatam invenies in capitularibus regum Francorum (1). Ut alia capitularia omittam, referam cap. 394. libr. 7., quod hoc modo se habet: *Similiter & hoc statutum est, ut a chorepiscopis, qui juxta sanctorum decreta locum septuaginta discipulorum, idest presbyterorum tenent, vel ab ipsis presbyteris, nec virginum conse-*

(1) Vide cap. 4. col. 235. editionis veteris Parisiensis Baluzii, cap. 4. Aquisgranense col. 269., libr. 5. capit. c. 320. col. 595., l. 6. c. 369. col. 659., l. 7. c. 260. col. 1080.

cratio, nec S. Spiritus traditio, nec ecclesiarum vel altarium consecratio, vel illa, quæ solis episcopis debentur, fiant... Omnia ergo, quæ isti præsumptiosi de episcopali ministerio egerunt, irrita esse comprobantur, & effectu carere, atque per omnia tam ab apostolica sede, quam & omnium episcoporum decreto irrita esse, & potius nocumenta, quam aliqua adjumenta sunt judicata, ac sæpius interdicta. Ex quibus sane ineluctabile argumentum deducitur contra assertam a Litta validitatem earum absolutionum, quæ a presbyteris injussu episcopi concederentur. Si enim quidquid pontificalium munerum sibi vindicarunt chorepiscopi, omne irritum & inane erat, ut in concilio Metensi & pluries in capitularibus decretum legitur, illudque omne ab episcopis reiterandum esse sancitum est: cum publica pœnitentium reconciliatio inter episcopalia munera adnumeretur, ut supra abunde demonstratum est, & in Damasi epistola supracitata traditur, quis inficiabitur persuasum fuisse denuo reconciliandos esse pœnitentes publicos, si a chorepiscopis temerario ausu absoluti essent, proindeque illam absolutionem irritam & inanem habituros fuisse? Cum vero pu-

blica pœnitentium reconciliatio *ſacramentalis* sit, ut in prima dissert. c. 3. ostendimus, illamque nullius momenti esse ex concilio Metensi, & capitularibus eruatur, jam vides communiter ante sæculum decimum nullam & cassam existimatam fuisse eam absolutionem, quæ a chorepiscopo impertiretur reo criminum publicæ pœnitentiæ obnoxiorum. Quod si hæ absolutiones inanes & vacuæ putabantur, licet a chorepiscopis datæ, qui tunc temporis quam maxime in ecclesia pollebant, quanam majori ratione nullas existimatas fuisse has easdem absolutiones dicendum erit, si a presbyteris duntaxat impertitæ fuerint? Ex quibus omnibus liquet priscis ecclesiæ sæculis nullius momenti habitam fuisse absolutionem, quæ publice concedebatur a presbyteris injussu episcopi, eo ferme modo, quo nunc nullam esse traditur absolutionem a presbytero datam casibus reservatis irretito, vel sine institutione aut delegatione episcopi.

CAPUT II.

Veteres examinantur presbyterorum ordinationes, nec non quædam patrum testimonia, ex quibus deducitur eorum potestatem circa pœnitentiæ sacramenti administrationem citra episcoporum auctoritatem inefficacem habitam fuisse.

Præcipuum in hoc negotio, quod mentem implicat, difficultatemque facit, est potestas, quæ in ordinatione presbyteris confertur; cum enim episcopus ad sacerdotii gradum evehit diaconum, potestatem pœnitentes reconciliandi impertire unicuique persuasum est. Licet autem theologi instent, & urgeant hanc esse duntaxat *radicalem & inchoatam*, nec completam censeri posse, nisi accedente jurisdictione, & assignatis subditis, in quos illa exerceri possit: nihilominus quibusdam adeo expedita & perfecta videtur, cum in ipsa ordinatione ea verba episcopus proferat, *accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt*, ut nullo modo perci-

pere queant, quomodo presbyteri frustra pœnitentes absolvant, si sine episcopi permissu pœnitentiæ sacramentum administrare tentaverint. Ut vero ea, quæ communiter tradunt theologi, explicem, & propugnem, liceat mihi, semotis, quoad veritas & claritas patitur, theologicis locutionibus & argumentis, utpote quæ ab aliquibus fallacia vel suspecta habentur, investigare, quid antiqua monumenta de hac potestate nobis suppeditent.

Et primo, ut falsam hujus potestatis ideam, quæ ex relatis verbis ab episcopo in presbyterorum ordinationibus prolatis in animos irrepit, expungam, veteres presbyterorum ordinationes perpendere opus est. Morinus, qui plurimos vetustissimos ordinationum rituales libellos Latinos, Græcos, Syros, Copticos in variis bibliothecis latitantes adeo studiose conquisivit, ac edidit, testatur in commentario de sacris ecclesiæ ordinationibus p. 3. exercitatione 7. c. 2. verba illa *accipe Spiritum Sanctum &c.* desiderari, & solummodo post 12. sæculum ab episcopis pronunciari in ordinationibus cœpisse; imo esse nonnullos rituales Latinos longe recentiores & admodum copiosos, singulos ritus singillatim descri-

bentes, qui illa omittunt. Græca vero euchologia non solum antiqua, sed etiam hodierna nullum habere horum verborum vestigium, quorum tamen ordinationes approbavit, & approbat ecclesia Romana (1).

Ego ipsemet plurimos rituales a clariss. Morino, Martene aliisque vulgatos pervolvi, nec unquam mihi accidit hæc verba in presbyterorum ordinationibus deprehendere; nullam prorsus horum mentionem faciunt antiquissimus codex ex bibliotheca D. Petavii senatoris Parlamenti, ut dicitur, Parisiensis exscriptus secundum Morinum ante annum 560., sacramentarium Gelasianum ex eadem bibliotheca deprom-

(1) Vide epistolam Leonis IX. ad Michaelem Cerularium patriarcham, & Leonem Acridanum episcopum, Cœlestinum III. extra. de tempore ordinationis, Innocentium III. extra. de tempore ordinationis c. *quod translationem*, concilium Lateranense IV. c. 4., Innocentium IV. bulla 14. inter bullas Innocentii IV. in bullario Cherubini, concilium Lugdunense II., & Florentinum, in quibus ecclesia Græca Latinæ unita est, quin ullum earum ordinationum vitium deprehenderetur, tandem Leonem X., Clementem VII., Paulum V.; quorum constitutiones habentur apud Morinum citat. opere c. 3. n. 1., qui insuper eruditissime rem hanc illustrat, quibus addi potest constitutio Benedicti XIV. de ritibus Græcorum.

tum mille annorum ætatem superans, eodem Morino teste, nec non fere ejusdem ævi Corbejensis codex, pontificale Egberti, Anglicanum monasterii Gemmeticensis, antiqua sacramentaria Regium, Rhemense, Noviomense, Gellonense, Caturcense, Turronense, Noviomense aliud, & Corbejense, Rotomagense, Radbodi pontificale, omnia circa sæculum 9. exscripta, Svessionense, Senonense circa sæculum decimum exarata, Lugdunense, Halinardi, Salisburgense, Bisuntinum ad usum ecclesiæ Turonensis accomodatum, Noviomense 3. circa sæculum undecimum; Rhemense, Cameracense, Apamiense circa sæculum undecimum, Moguntinum duplex, Romanum duplex, & Aquense, pluraque alia, quæ brevitatis gratia non commemoro.

Non dissimulabo tamen unicum ante 12. sæculum contrarium testimonium, quod mihi occurrit, quodque habetur in vita Lietberti (1), qui sæçulo 10. Cameracensis ecclesiæ sedem ascendit, in cujus capite 17., ubi de ejus in presbyterum electione agitur, inter alia hæc leguntur: *Cumque ad*

(1) Spicilegii tomo 9.

manus impositionem pontificalis diceretur novo presbytero: accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, infremuit &c. Verum quid unicum testimonium contra tot pontificales libros? Quid contra omnes veteres scriptores, apud quos altum ubique de hisce verbis in presbyterorum ordinatione silentium? & præsertim contra illos, qui ecclesiasticos ritus referendos enucleandosque susceperunt, Dionysium scilicet vulgo dictum Areopagitam, Isidorum, Amalarium, Rabanum, Micrologum, seu auctorem libri, cui titulus *Micrologus*, Ivonem Carnotensem, Hugonem Victorinum, aliosque non paucos. Quidquid sit igitur de hoc singulari ordinationis Lietberti ritu, extra omne dubium est ab antiquissimis temporibus huc usque apud Græcos, & per plura sæcula apud Latinos presbyteratus ordinem collatum fuisse ab episcopis absque horum verborum dictione, quin tamen Græcis presbyteris minor potestas esse dicatur, vel olim veteribus Latinis, quam modo Romani sacerdotes habent, proindeque nullum negotium facessere potest.

Non me latet, quod nonnulli theologi docent, impositionem scilicet manuum

ab episcopo faciendam, quando ea verba profert *accipe Spiritum-Sanctum &c.*, sicuti etiam horum verborum prolationem ita essentiales esse presbyterorum ordinationi, ut, iis omissis, perfecti dici nequeant sacerdotes; quod licet jam acceperint per calicis cum vino & patenæ cum pane porrectionem potestatem offerendi sacrificii, nedum tamen acceperunt dimittendi peccata, quam duntaxat per hanc manuum impositionem & hujus formulæ dictionem conferri asserunt. *Verum hos scholasticos toto aberrare cælo*, inquit Martene de antiquis ecclesiæ ritibus l. 1. c. 8. art. 9., *inficias nullus iverit, qui antiquos ordinationum sacrarum ritus vel levi perlustraverit oculo, utpote qui nullam prorsus illius mentionem fecerint ... Jam vero quis credat tot rituales libros, tot insignium ecclesiarum, singulos ordinationum ritus adeo religiose, & in quibusdam adeo diffuse describentes, in re tam essentiali defecisse*. Ab hujus dissertationis scopo alienum est ea omnia persequi, quæ hanc penitus evertunt opinionem; etsi ea, quæ indicavi, satis superque sint ad illam explodendam. In his enim rebus quidquid sine documentis traditur, facile contemnitur, ut vel

ipsemet cardinalis Baronius sæpius docuit. Qui tamen hanc quæstionem diffuse lateque tractatam legere desiderat, adeat clariss. Morinum de sacris ordinationibus, præsertim part. 3. exercitatione 5., ubi videre licet etiam calicis, & patenæ contactum recens esse inventum, quamvis vetustior sit hac manuum impositione.

Contra omnes rituales libri veteres & hodierni non solum Latini, sed etiam Græci omnes, Syri, & Ægyptii in presbyterorum ordinationibus manus impositionem & convenientem presbyteratui orationem unanimiter tradunt, ut illos comparanti non injucunde patebit, ex quo deducitur hasce duntaxat ordinationi essentiales esse, nisi inficiari velimus materiam & formam ordinis perpetuas esse. De officio autem atque potestate presbyterorum in eorum ordinationibus dicitur solummodo eos ad episcoporum adjumentum assumptos fuisse, & quod potissimum hac de re attendendum est, ne verbum quidem habent de potestate ligandi atque solvendi, quod non omittitur in plurimis ritualibus libris vetustissimis, qui episcoporum ordinationes nobis exhibent

(1); quamvis horum nonnulli distincte recenseant presbyterorum munera & potestatem, ut inter alios antiquissimus *Ordo Romanus* apud Catalanum in comment. pontific. Rom. p. 1. t. 12. §. 5.: *Qui ordinandi estis presbyteri, offerre vos oportet, & benedicere, præesse, & prædicare, baptizare, & bonis operibus & Deo placitis undique redundare*. His similia habet etiam pontificale ecclesiæ Moguntinæ annor. circiter 600. apud eundem citat. loco. Quæ sane verba ne indicium quidem potestatis ligandi atque solvendi offerunt; quod argumento est veteres non agnovisse in presbyteris hanc potestatem completam, nisi quatenus munus hoc ipsis demandari poterat ab epi-

(1) Vide inter alios sæculi 6. codicem Petavianum apud Morinum de sacris ordination. p. 2. pag. 216. edit. Antuerpiæ, antiquissimum codicem ecclesiæ Vaticanæ apud eundem Morinum citat. loco pag. 225., codicem Rotomagensis ecclesiæ saltem sæculi 9. apud eundem citat. loco p. 234., codicem Rhemensem ejusdem sæculi apud eundem citat. loco p. 239., codicem Corbejensem sæculi 10. apud eundem citat. loco p. 250., aliosque plures apud eundem Morinum, & Martene &c. De allatorum codicum ætate fides sit penes Morinum, cujus sententiam in ætate assignanda secuti sumus

scopis, cujus delegationis exempla jam supra retulimus.

Revera patres solis prorsus apostolis eorumque successoribus episcopis potestatem ligandi atque solvendi a Christo concessam fuisse tradunt, ut mea memoria est. Et primo s. Cyprianus l. de unitate ecclesiæ: *Super illum unum* (Petrum) *ædificat ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas; & quamvis apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat, sicut misit me pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum, si cujus remiseritis peccata &c. ... tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit*. Prosequitur s. Cyprianus, sed ne verbum quidem de potestate presbyterorum circa pœnitentiæ sacramenti administrationem, bene vero de episcopis loquitur, ubi ait: *episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur*.

Firmilianus apud Thomassinum citato opere p. I. l. I. c. 50.: *Potestas peccatorum remittendorum apostolis data est, & ecclesiis, quas illi a Christo missi constituerunt, & episcopis, qui eis ordinatione vicaria successerunt*.

His similia s. Pacianus epist. 3. ad Sympronianum (1), qua inquit *datam episcopis potestatem, ut quæ ligassent in terra, ligata essent & in cœlis*, & e converso.

S. Ambrosius in psalmum 38.: *Remitte mihi, ut refrigerer, priusquam eam, & amplius non ero . . . Propheta & prædicator ecclesiæ congregandæ evangelico spiritu indulgentias Domini prævidebat, & præcipienda apostolis ei Dominus revelabat . . . Ideo Dominus, quod antea erat judicii sui, dedit apostolis peccata remittendi æquitatem . . . Quod Petro dicitur, apostolis dicitur &c.*

S. Gaudentius Brixiæ episcopus sermone, quem prima die ordinationis suæ habuit, editionis Brixianæ ann. 1738. p. 335.: *Postea vero pro commisso scelere jam damnato Juda, omnes apostoli Christo surgente in Petro claves accipiunt, quando ait illis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum peccata dimiseritis, dimissa erunt.*

S. Gregorius Magnus hom. 26. in evangelia, qua, postquam docuerit verba

(1) Bibliot. patrum t. 4.

illa, *sicut misit me Pater & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* a Christo Domino dicta esse apostolis, subjungit: *Horum profecto nunc in ecclesia episcopi locum tenent, ligandi atque solvendi auctoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur.*

Si allati patres existimassent penes presbyteros esse completam potestatem ligandi atque solvendi ita, ut ipsi episcoporum delegatione non indigerent ad validam hujus sacramenti administrationem, videntur, dum recensent eos, qui hac potestate præditi erant, etiam presbyteros commemorare debuisse. Quibus si addas antiquas presbyterorum ordinationes, in quibus, ut vidimus, nihil de hac presbyterorum potestate habetur, sane non leve argumentum erit ad probandum, persuasum fuisse patribus hanc potestatem saltem completam ipsis a Christo Domino concessam non fuisse, nisi quatenus ipsis demandari poterat ab episcopis pœnitentium reconciliatio, proindeque presbyteris in ordinatione collatam fuisse quidem quandam habilitatem sive aptitudinem, qua episcoporum mandato hoc munere valide fungi possent, eorumque vices imple-

re, non vero perfectam completamque potestatem. Dixi habilitatem sive aptitudinem duntaxat presbyteris in ordinatione collatam fuisse, quod ordinatione solummodo idonei fiunt ad hoc munus episcopali antistitis delegatione obeundum; si tamen mavis illam vocare potestatem *radicalem & inchoatam*, ut solent theologi, non adversabor, ne litem de nomine videar instituere, dummodo perfectam, completamque esse non asseras.

Rem hanc confirmat Ratramnus Corbejensis monachus l. 4. c. 7. adversus opposita Græcorum (1), qui objicientibus Græcis, quod in ecclesia Latina soli episcopi confirmationis sacramentum conferrent, dum in ecclesia Græca etiam presbyteri sacro chrismate fideles linirent, respondit Spiritus Sancti gratiam donari per sacramentum confirmationis & per sacramentum pœnitentiæ, sed quemadmodum solis apostolis & episcopis, utpote eorum successoribus, specialiter concessa fuit a

(1) Ratramnus, sive Bertramus vixit sæculo nono, ejus opera edita sunt tomo 1. Spicilegii D. Acherii, testimonium referendum habetur p. 116. editionis Parisiensis anni 1723.

Christo Domino potestas remittendi peccata, ita solis episcopis datum est, ut conferre possint sacramentum confirmationis. En ejus verba: *Constat namque Spiritus Sancti gratiam per unctionem frontis ex chrismate ab episcopis donari, quod nulli præter episcopos esse concessum evangelica testatur auctoritas. Resurgens etenim Dominus & discipulis apparens insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis &c. Ergo si remissio peccatorum per Spiritum Sanctum contribuitur, & hoc munus apostolis specialiter constat esse donatum, jure solis episcopis hæc gratia reservatur, quos in ecclesia constat apostolorum successionem & ministerium esse sortitos.* His sane verbis indicat Ratramnus adeo *specialiter* dictum esse apostolis, *accipite Spiritum Sanctum &c.*, ut presbyteris a Christo concessa non fuerit potestas remittendi peccata. Si enim presbyteris data esset potestas absolvendi a peccatis, donati etiam essent in sententia Ratramni potestate confirmandi fideles, quoniam inter utriusque sacramenti ministros comparationem instituit. At, dato, quod a Christo Domino consecuti essent presbyteri potestatem sacramentum chrismatis admini-

strandi, nimis durum certe, ne dicam injustum esset, eos prohiberi, ne illa unquam uterentur, ac exercerent, proindeque rationi consentanea esset Græcorum querela, neque Ratramnus ipsis satisfecisset, vel probasset jure ac merito ecclesiam Latinam solis episcopis gratiam confirmandi fideles reservasse.

Præterea ex hac Ratramni argumentatione inferri posse videtur ipsi persuasum fuisse quivisse episcopos simplici sacerdoti committere sacramenti confirmationis administrationem, seclusa ecclesiæ prohibitione (1). Cum enim presbyteri in ecclesia Latina ex delegatione episcopi peccatorum remissionem concederent, quod Ratramnum latere non poterat, sane si eadem est ratio & potestas presbyterorum in utroque sacramento, ut aperte innuit Ratramnus, non video, quare episcoporum de-

(1) Sola inspecta institutione divina & seclusa ecclesiæ prohibitione posse episcopum presbytero committere, ut chrismate a se confecto fideles consignet, tradunt clariss. Pallavicinus hist. concilii Trident. l. 9. c. 7., Christianus Lupus in notis ad canones 8. synodi, Thomassinus de ecclesiæ disciplina p. 1. l. 2. c. 23., Van Espen jur. eccles. p. 2. t. 3. cap. 2. aliique.

legatione gratiam Spiritus Sancti per unctionem frontis presbyteri dare non possent in ejus sententia. Quod etiam ab ejus proposito non abhorrebat, utpote quod non erat oppugnare Græcos, eo quia hoc munus presbyteris demandassent, sed Latinos episcopos tueri, qui se ab hisce delegationibus abstinebant. Statim ac enim confirmandi potestas adeo specialiter data est apostolis eorumque successoribus episcopis, ut presbyteri illam non habeant, nisi quatenus in ipsos transfundi possit ab episcopis, jure ac merito queri nequeunt, si ipsis non conferatur. Quo dato, infertur, sicut nulla & irrita est collatio confirmationis tentata a presbytero injussu episcopi; ita nullam & irritam secundum Ratramnum habendam reconciliationem a presbytero tentatam, si ei ab episcopo demandata non fuerit; vel sicut non est penes presbyteros potestas confirmandi fideles, nisi conferatur ab episcopo secundum Ratramnum, ita non esse potestatem eos absolvendi, nisi ab eodem episcopo impertiatur. Certe posita comparatione potestatis presbyterorum circa utrumque sacramentum, quam instituit Ratramnus, id posse jure colligi mihi videtur.

Sed idipsum plane confirmat antiquus auctor libri inscripti Micrologus de ecclesiasticis observationibus (1) cap. 21., ubi hæc habet: *Sic enim confirmatio neophytorum penitus separata est ab officio presbyterorum: quam tamen s. Gregorius papa I. quibusdam presbyteris concessisse legitur, scribente Januario Calaritano episcopo. Item & susceptionem pœnitentium non ex sua consecratione, sed ex episcoporum concessione presbyteri habere meruerunt. Quod illum non latebit, quicunque ordinem consecrationis eorum sive statuta sanctorum patrum diligenter inspexerit.* His clariora nequeunt desiderari. Micrologo prorsus convenit s. Thomas tertia part. q. 82. art. 1. ad 4.: *Episcopus accipit potestatem, ut agat in persona Christi super corpus ejus mysticum, idest super ecclesiam; quam quidem potestatem non accipit sacerdos in sua consecratione, licet possit*

(1) Micrologum esse libri titulum, non autem cognomentum auctoris docent clariss. Pagius ad annum 1022., Theophilus Raynaudus in Erotemat. de bonis & malis libris, aliique. Floruit auctor sæculo 11., editusque est tomo 18. bibliothecæ patrum edit. Lugdunen.

eam habere ex episcopi commissione. Et l. 4. c. 76. contra gentiles: *Hæc est episcopalis potestas, quæ etsi quantum quidem ad consecrationem corporis Christi non excedat sacerdotis potestatem, excedit tamen eam in his, quæ pertinent ad fideles: nam & ipsa sacerdotalis potestas ex episcopali derivatur; & quidquid arduum circa populum fidelem est agendum, episcopis reservatur, quorum auctoritate etiam sacerdotes possunt, quod eis agendum committitur*. Ex his testimoniis jure deduci posse arbitror, nullam presbyteris collatam pœnitentes reconciliandi potestatem, nisi ab episcopis concedatur. Si enim presbyteri, ut presbyteri, valide potuissent pœnitentes absolvere, certe potestatem haberent ligandi atque solvendi, neque patres relati ipsis hanc potestatem abjudicarent, vel illam habere duntaxat traderent ex episcoporum delegatione seu institutione; aliter presbyteri potuissent id, cujus potestatem non haberent, quod implicat contradictione.

Neque his patribus aliqua ratione refragatur concilium Tridentinum eo, quod sess. 23. c. 15. docuerit presbyteros *in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem* accepisse. Neminem enim latet ante

concilium Tridentinum, imo jam sæculo 13. distingui cœpisse potestatem ligandi atque solvendi in potestatem *ordinis & jurisdictionis*, quæ distinctio brevi scholas omnes pervasit. Hinc Tridentinum huic distinctioni inhærens tradit habere quidem presbyterum ex sua ordinatione potestatem absolvendi a peccatis; sed loquitur, ut per se patet, de potestate ordinis, quæ si jurisdictioni, seu episcoporum permissioni (1) conjuncta non est, adeo ineptam esse & inefficacem declaravit sess. 14. c. 7., ut nullius momenti habendam esse voluit *eam absolutionem, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam*

(1) Verbum hoc jurisdictio nihil aliud significat, quam dictio juris; potestas vero jurisdictionis est potestas juris dicundi in subditum. Considerata vero in sacramento pœnitentiæ relative ad presbyteros est auctoritas quædam in alterum tanquam in subditum, per quam sacerdos velut judex in eum sententiam rite ferre valeat, vel ejus peccata remittendo, vel retinendo. Hæc auctoritas ab episcopis attribuitur presbyteris, cum eis concedunt hujus sacramenti administrationem, quod tunc fit, cum episcopi eis conferunt parochialem ecclesiam, vel facultatem confessionum excipiendarum impertiunt. Hinc jurisdictio & episcoporum permissio administrandi sacramentum pœnitentiæ in eadem significatione dicuntur.

aut subdelegatam non habet jurisdictionem. De quo postea. Econtra allati patres, dum potestatem ligandi atque solvendi abjudicant presbyteris, de potestate completa atque perfecta accipiendi sunt, qua possint presbyteri a peccatis revera absolvere, illamque in eorum consecratione accipere inficiantur; fatentur tamen habere presbyteros eam potestatem, quam *ordinis* modo dicimus, dum pœnitentium reconciliationem ab episcopis delegari posse presbyteris asserunt. Quare licet verbis Tridentinum discrepet ab allatis patribus, re tamen convenit. Maluit autem Tridentinum dicere presbyteris conferri in ordinatione potestatem absolvendi a peccatis, quam habilitatem & aptitudinem, vel potestatem *radicalem & inchoatam*, eo quod tunc temporis ita communiter appellabatur a theologis & canonistis, atque aliquo sensu potestas dici potest, cum nonnisi presbyteris hoc munus demandari queat ab episcopis, quippe qui soli consecratione habiles & idonei fiunt ad hoc munus obeundum.

Verum clariss. Litta §. 13. sæpe citatæ epistolæ, cui voces aptitudinis & habilitatis vehementer displicent, postquam

transcripserit supra allata verba Tridentini, ut ostendat presbyteros in eorum ordinatione accepisse non solum aptitudinem quandam & habilitatem, sed veram & propriam potestatem absolvendi a peccatis, quod nos libenter ei concedimus, dummodo eam secundum Tridentini sententiam intelligat, ac interpretetur, subdit: *Inoltre se i sacerdoti nell' ordine non hanno, che pura attitudine ed idoneità all' assolvere, non hanno dunque podestà. Dunque o nessuno dei sacerdoti può assolvere, o se lo può, lo deve potere per una podestà, che riceve fuor dell' ordine. Ma se la riceve fuor dell' ordine, ella è umana. Dunque o non può assolvere; o lo può per una podestà umana. L' argomento non ammette replica.*

Hæc, quæ prima specie inelu&abilia videntur, attente considerata evanescunt. Dato enim, quod reapse potestatem, vere & proprie loquendo, reconciliandi pœnitentes presbyteri non recipiant ex ordinatione, sed solummodo habilitatem quandam & aptitudinem, qua idonei fiunt, ut in ipsos hæc potestas transfundi queat ab episcopis, quod docere videntur relati patres, dum solis illam asserunt episcopis, nec

non vel ipsi ordinationum antiquissimi ritus, & potissimum id, quod perpetuo in ecclesia traditum est, presbyteros scilicet absolvere non posse a peccatis absque episcoporum permissu, irritamque esse absolutionem secus attentatam: nihilominus tamen hæc potestas ab episcopis attributa presbyteris extra ordinationem nullo pacto humana dici potest. Nam si eadem est rivi, quæ fontis natura, ut apposite animadvertit Petrus Aurelius postea laudandus, eadem vis causæ principalis, & instrumenti, eadem ministrorum regiorum, & regia potestas, cum episcoporum potestas non humana sed divina sit, certe etiam in presbyteris, in quos emanat, non humana, sed divina erit.

Deinde pondus omne argumenti, de quo clariss. Litta adeo sibi blanditur, eo nititur, scilicet quod illa potestas sit humana, quæ extra ordinationem confertur, vel accipitur, quasi extra ordinationem communicari nequeat divina potestas, quod probandi, ut molestiam vitet, tanquam exploratum principium ponit, licet communiter illud tanquam falsum respuant theologi & canonistæ, dum jurisdictionis spiritualis potestatem, etsi solis clericis dari

possit, absque ordinatione tamen communicari docent. Quare, ut hoc argumentum aliquid concludat, prius solidis rationum momentis probare, non dicere tantummodo, oportet contra communem theologorum & canonistarum sententiam, potestatem omnem, quæ extra ordinationem accipitur, humanam esse, quod fieri non posse existimo. Sane summus pontifex *plenam habet potestatem pascendi, regendi, gubernandi ecclesiam universalem*, ut verbis utar concilii Florentini, hæcque divina est non humana, quin aliqua egeat ordinatione sacramentali, præsertim si episcopus in pontificem eligatur.

Quod majus negotium facessere posset traditæ doctrinæ, est asserta a quibusdam theologis divina parochorum institutio. Contendunt enim nonnulli theologi immediate a Christo Domino septuaginta discipulis, quibus parochiales presbyteros succedere, eorumque locum tenere docent, collatam fuisse jurisdictionem, etiam quoad confessiones audiendas, in cujus sententiæ confirmationem proferunt universitatis Parisiensis censuras, quas vide apud clariss. Thomassinum de ecclesiæ discipl. p. 1. l. 2. c. 26.

Sed sciendum est hanc theologorum, etsi lycei forte omnium celeberrimi, sententiam, ex qua tantum splendoris accedit parochorum muneri, opinionis theologicæ fines non excedere; quoniam plurimi, & quidem magni nominis theologi statum & auctoritatem parochorum ex immediata Christi institutione profectam esse inficiantur. Hinc vel ipsemet clar. Litta ab hac se abstinuit quæstione, nullumque ex illa argumentum desumpsit, ne hisce theologicis tricis irretiretur. Quare nos quoque ejus vestigia sectantes perpetuis illam theologorum disputationibus derelinquimus; & donec ea, quæ supra diximus, solvantur, liceat nobis negare immediate a Christo Domino traditam fuisse presbyteris parochialibus potestatem absolvendi perfectam eo sensu, quo supra declaravimus, quod forsan facile poterit conciliari Parisiensis universitatis decretis. Quod si ejusdem universitatis decisione hanc controversiam diremptam esse contendant, sciant eandem universitatem Parisiensem proximis superioribus annis damnasse propositionem, quam recudit clar. Litta, scilicet asserentem *valorem absolutionis non pendere a jurisdictione*, de quo postea. Quoties igitur ad-

versarii huic Parisiensis universitatis decreto subscribent, nos quoque manus dabimus.

Ne tamen videamur tradidisse doctrinam a regno Galliæ prorsus eliminatam, duo exscribenda existimo testimonia Gallicanorum scriptorum, qui apud eos maximo in honore habentur, ex quibus facile quisque noscere potest minime nos a Gallicanis sententiis distare. Horum primus erit clarissimus Thomassinus, qui p. 1. l. 2. c. 24. de eccles. disc., postquam retulisset quorundam patrum testimonia, in quibus presbyteros (quos tunc omnes parochos fuisse gratis omnino, ne prorsus perperam dicam, contendunt hujus opinionis patroni) ad formam septuaginta discipulorum Christi assumptos esse habetur, hæc subdit: *Quibus illud placuit, ut divino jure nitatur parochorum auctoritas, his patrum sententiis doctrinam suam adstruere poterunt. Ab ipsomet enim Christo, & tota potestate sui ordinis sacra instructi, & ad prædicandum missi sunt discipuli. At non tam perspicue demonstrari potest, & administrationem sacramentorum & clavium potestatem eis a Christo immediate traditam fuisse, quam prædicandi provinciam. Evi-*

dentissime textus ipse evangelicus edocet non esse delegatam a Christo ipso potestatem clavium, nisi Petro & apostolis. Ab ipsis ergo & missi, & necessariis mandatis instructi postea fuere discipuli, quo huc illucque per orbem sparsi fundarent ecclesias, ac gubernarent.

Siquidem tribus in locis Christus sermonem habuit de potestate dimittendi peccata, (quam solam & perfectam & completam nos inficiamur a Christo habuisse immediate presbyteros parochiales, cæterosque) scilicet Matth. 16. v. 19., & 18. v. 18., & Joann. 20. v. 23. Primo loco promittit Petro, secundo apostolis omnibus potestatem ligandi atque solvendi; at solum Joann. 20. hanc contulit apostolis potestatem. Ut autem demonstretur tunc immediate a Christo eam discipulis concessam, necessario probandum erit non solum tunc adfuisse discipulos, sed etiam ipsos allocutum fuisse Christum. Intererant enim, præter apostolos & 70. discipulos, etiam mulieres & laici, saltem si iidem erant, (ut docent, qui immediate a Christo traditam discipulis hanc potestatem asserunt) de quibus actor. 1. v. 15., *erat turba hominum simul fere centum viginti*, quo nu-

mero facile comprehendebantur soli viri, cum *fœminæ in censum venire* non solerent, ut testatur clarissimus Calmet. Sed mulieribus & laicis dedisse Christum hanc potestatem, nemo catholicorum, ut opinor, affirmabit. Non igitur satis erit ostendere præsentes fuisse discipulos, quando Christus dedit apostolis potestatem ligandi atque solvendi, sed insuper oportet demonstrare ipsismet discipulis dixisse: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* Verum quomodonam dici poterit ipsos allocutum fuisse, & potestatem completam & perfectam pœnitentium reconciliandorum elargitum ipsis esse, si adhuc ambigitur, an tunc fuerint discipuli sacerdotio initiati? Crediderunt plurimi, docet idem Calmet, s. Stephanum ex numero fuisse duorum & septuaginta discipulorum, qui diaconatus ordinem post Chsisti ascensionem assecutus est, ut liquet ex actor. c. 6., quo recensetur septem diaconorum consecratio. Pro hac opinione citat s. Epiphanium de Christo c. 4. Et in dictionario biblico v. *discipulus* scribit septem diaconos fuisse ex numero 70. discipulorum. Ex quibus omnibus constat, quantum in obscuris & dubiis versantur, qui immediate

a Christo collatam esse discipulis volunt potestatem ligandi atque solvendi ; hinc ea , quæ ex manifestis patrum testimoniis supra docuimus , respuere , ut hæc tueamur , idem arbitror esse , ac argumentis relictis conjecturas sectari , & ubi scientia haberi potest , opinione contentum esse.

Alter Gallicanus scriptor est Petrus Aurelius , cujus celeberrimum opus in tribus continuis cleri Gallicani comitiis approbatum fuit , & bis ipsius cleri expensis editum (1) , qui hæc tradit apud Thomassinum de discip. eccles. p. 1. l. 1. c. 2. : *Atque hæc est eminentia dignitatis episcopalis supra sacerdotalem , quod sacerdotalis nullam per se jurisdictionem nec includat , nec exigat , utpote imperfectior , & episcopali subjecta , cujus nutu regi & ad ope-*

(1) Racine in hist. eccles. t. 19. pag. 139. edit. Florentinæ: *Il libro di Petrus Aurelius fu approvato da tre consecutive adunanze del clero , e stampato due volte a spese del clero medesimo , e nell' ultima adunanza , che fu quella del 1646. venne indirizzato all' autore un magnifico elogio .* Tom. vero 21. p. 152. idem Racine hæc habet : *Ma tutti questi scritti furono bravamente confutati dal celebre libro intitolato Petrus Aurelius composto dal Sig. de Barcos sotto la direzione dell' abbate di s. Cirano suo zio , e che meritò i più magnifici elogj del clero di Francia .*

rationes admoveri, non ipsa prosilire debet, ut canones jam pridem sanxerunt. At episcopalis dignitas, ut summa & in suo genere perfecta jurisdictionem necessario complectatur, nec sine ea consistat, non magis quam regia dignitas, cui sancti patres episcopalem dignitatem passim comparant, sine imperio concipi nequit.

Paulo post apud eundem Thomassinum hæc habentur: *Præter consecrationem sacerdotum episcopalis ordo est potestas summa in sacramenta omnia, & in omnes actiones hierarchicas: quæ ab eo omnes, ut a capite & fonte, in ecclesiis particularibus fluere ac manare debent ex Christi lege, sicut ab universali episcopo in totam ecclesiæ universalis amplitudinem. Quod perspicue docuerunt concilia & patres, dum nihil a presbyteris aut diaconis sine nutu episcopi agendum esse declarant... Atque hæc est excellentia ordinis episcopalis cuilibet ministrorum inferiorum incommunicabilis: quod nimirum sit amplissimus quidam fons, omnis sacerdotalis functionis in quaque ecclesia singulari constitutus, a qua omnem aliam in eadem ecclesia potestatem & operationem hierarchicam necessario scaturire oporteat.*

Sed etiam propius ad rem idem Petrus Aurelius apud eundem Thomassinum l. 2. c. 26., qui, teste eodem Thomassino, apologiam texens censuræ cujusdam theologorum Parisiensium circa quæstiones has ipsas, hæc tradit: *Parochorum officium si minus institutionis divinæ in se est, at est in episcopo; quia in episcopo inclusum a Christo est, ut in fonte ac plenitudine ecclesiasticæ & hierarchicæ potestatis, cujus parochialis potestas est decidua pars ab episcopo in parochum, ut a fonte in rivum, transfusa, sine detrimento tamen aut imminutione, eo modo, quo res spirituales transfunduntur, & communicantur, ut e septuaginta senioribus Moysis spiritu imbutis, illibata Moysis plenitudine, facile intelligitur &c. De potestate jurisdictionis agimus &c. Ministrorum potestas sic ab episcopo fluens, divinæ est non humanæ institutionis, quia eadem rivi est, quæ fontis natura, eadem vis caussæ principalis & instrumenti, eadem ministrorum regiorum & regis potestas, quæ comparatio est s. Thomæ.*

CAPUT III.

Nonnulla perpenduntur, quæ de baptismo & ordine tradit Litta, ex iisque nullum pro sua sententia firmum deducere posse argumentum ostenditur.

Litta §. 132., ut a recentiorum theologorum sibi adversantium, qui tamen non nisi quod veteres sentiunt, auctoritate se expediat, & simulatam venerationem erga eos ostentet, ut ita temeritatis notam effugiat, nec non ut alterum opinioni suæ constituat fundamentum, quærere conatur hujus seductionis (ita omnium theologorum sententiam appellat) originem, hancque ortam opinatur ex illa ab eo asserta naturali animi propensione nullum & irritum illud omne excogitandi, quod prohibitum est. Ne tamen ipsi imponere videar, ejus referam verba: *Non intendo però con questo di non valutar punto il sentimento de' dottori. Anzi per sincero rispetto, che loro professo, in vece di ulteriori confutazioni, voglio intraprendere l' esame delle ragioni, che hanno potuto sedurre si*

rispettabile moltitudine ad abbracciare un' opinione, che credo di aver dimostrata falsa ed insussistente. §. vero 133. hæc subdit: *La prima origine di seduzione, che ha potuto involgere in un' opinione falsa la moltitudine, nasce da quella naturale inclinazione, in cui sono sempre stati gli uomini, di creder nullo umanamente ciò, ch' è vietato*.

Quidquid autem sit de hac commentitia hominum propensione, ipse certe eam adstruere curat, allatis exemplis de baptismi & ordinis iterationibus, quæ in ecclesia habitæ fuerunt, utpote illicite collati. Hinc meminit Cypriani cum Afris, & Firmiliani, aliorumque Asiæ episcoporum, qui baptismum ab hæreticis administratum inane & cassum iterandumque esse docuerunt, nec non Basilii, Athanasii, Optati Milevitani, Cyrilli Alexandrini, qui idipsum cum aliqua limitatione tradiderunt, quorum opinionem videri posse scribit apud Juvenin dissert. 2. §. 1. de baptismo (1).

(1) Berti de theolog. discip. l. 31. c. 13., Natalis Alexander dissert. 23. sæculi 3., & clariss. patres s. Mauri præfat. in opera s. Athanasii, & in notis ad 1. orationem adversus Arianos, Athanasium ab errore

Circa hanc celeberrimam de hæreticorum baptismo controversiam, in qua non parva hæreticorum manus universæ ecclesiæ bellum indixit, sed præstantissimi antistites, illustres ecclesiæ cum aliis insignioribus ecclesiis & præsulibus decertarunt, nonnulla animadvertenda sunt, ut pateat, quid inde deduci possit. Hic igitur rebaptizantium error, si Littæ standum est, ex ea animi propensione ortum duxit *di creder nullo ciò, che è vietato*. At cum publica pœnitentium reconciliatio, ut in prima dissertatione abunde demonstratum est, prohibita esset presbyteris, cur non irritam & inanem a rebaptizantibus creditam fuisse dicendum erit? Si baptismum illicite collatum iterabant rebaptizantes, licet characterem imprimat, nec repeti possit; nonne majori ratione existimandum erit iterasse pœnitentiæ sacramentum a sacerdote administratum sine episcopi permissu, utpote quod nec characterem in anima imprimat, & ex ejus institutione iterari possit?

rebaptizantium vindicant, quibus tamen Berti citat. loco aliique accensent Tertullianum & Dionysium Alexandrinum.

Deinde Litta in fine §. 134. hæc subdit: *Ora sin da' suoi tempi l' acuto s. Agostino svolse, qual' era l' origine di questo sì comune equivoco. Non si distingueva la legittimità dell' atto dal legittimo uso di lui. Così gli eretici* baptismum legitimum habent, sed non legitime habent (l. 5. de bap. c. 7.). *Lo stesso potrei dire de' sacerdoti ne' casi riservati, legitimam absolutionem habent, sed non legitime habent*. Quemadmodum ergo ex eo, quod legitime non conferunt baptismum hæretici, illum rejiciebant rebaptizantes, ita ex eo, quod legitime non absolvunt presbyteri sine episcopali auctoritate, ab iisdem rejectas esse eorum absolutiones credendum est. Si enim baptismum legitimum non distinguebant ab illius legitima administratione, neque in pœnitentiæ sacramento distinxisse videntur. Si hæc stant, quæ certe e Littæ principiis fluunt, dicendum erit tot insignes ecclesias, & celebres sanctitate & scientia patres publicas reconciliationes a sacerdotibus celebratas respuisse, & inanes & cassas eas habitas fuisse absolutiones, quæ pœnitentibus a presbyteris injussu episcopi etiam secreto impertitæ fuerint. Cum vero hæc rebaptizantium do-

ctrina circa pœnitentiæ sacramenti iterationem non inveniatur reprobata a summo pontifice Stephano, neque ab ullo alio unquam, argumentum non leve est consentaneam fuisse disciplinæ, quam universa ecclesia colebat.

Revera licet s. Cyprianus aliis etiam rationum momentis uteretur ad suam de rebaptizandis ab hæreticis baptizatis tuendam opinionem, quæ legi possunt in ejus epistola 70. & sequentibus usque ad 76.: primum tamen, quod urget in epistola 73. ad Jubajanum, desumpsit ex eo, quod illicite baptismus conferatur ab hæreticis. Ait enim: *Scripsisti mihi desiderans significari tibi motum animi nostri, quid nobis videatur de hæreticorum baptismo, qui foris positi, & extra ecclesiam constituti vindicant sibi rem nec juris sui nec potestatis. Quod nos nec ratum possumus nec legitimum computare; quando hoc apud eos constet esse illicitum.* Ex eo, quod illicite confertur ab hæreticis baptismus, ratum & legitimum non agnovit; at publica pœnitentium reconciliatio in sententia Cypriani, ut supra vidimus, a presbyteris facta illicita erat. Ergo a pari in sententia Cypriani non erit rata & legitima. Sed de

his satis, præsertim cum retulerimus aperta Cypriani testimonia, quæ irritam declarant absolutionem a presbyteris datam lapsis in Decii persecutione.

Comparatio vero, quam instituit Litta inter hæreticos baptizantes, & presbyterum a reservatis absolventem, non tenet. Laici enim ac hæretici valide conferunt sacramentum baptismi, licet seclusa necessitate illicite conferant, quia Christus, ut tradit s. Thomas 3. p. quæst. 67. art. 3., fecit idoneum hujus sacramenti ministrum quemlibet hominem: contra solis episcopis dedit absolutam perfectamque potestatem ligandi atque solvendi, & presbyteris non nisi quatenus in ipsos ab episcopis transfunditur, ut supra demonstratum est. In presbyteros vero non integre hæc potestas transfunditur, quoties ea casuum reservatione limitatur; hinc si a reservatis absolvere attentant, sine potestate absolvunt, proindeque nullius momenti habetur eorum absolutio.

De ordinationibus vero loquens Litta §. 135. hæc tradit: *Per ciò, che riguarda le ordinazioni, abbiamo testi chiarissimi, che vieppiù dimostrano l' inclinazione de' tempi antichi di creder nulla l' ordinazione*

illecita. Era illecito l' esser ordinato vescovo senza il consenso del metropolitano, e il concilio Niceno can. 6. dice: Manifestum est, quod si quis absque metropolitani sententia factus sit episcopus, eum magna synodus non esse episcopum declarat. Hoc igitur canone clariss. Litta fallacem hominum inclinationem confirmat illud irritum & nullum credendi, quod illicitum est? Ergo ne concilium Nicænum, scilicet concilium illud, cujus talis habebatur apud veteres patres ratio, ut sanctis ipsis quatuor evangeliis compararetur, hac erronea propensione laboravit, eaque ductum hunc canonem decrevit? Quin imo concilium Chalcedonense, Urbanus II. in concilio Placentino, concilium Sardicense, quorum canones postea refert, ut hanc animi propensionem hominibus affingat, eadem ne cæca & erronea propensione acta canones sanxerunt? Quomodonam hæc scribere potuerit vir in sacerdotali dignitate constitutus, & in amplissimum metropolitanæ ecclesiæ Mediolanensis canonicorum collegium cooptatus, ego sane non intelligo. Integrum hunc articulum paulatim exscribam, ut nonnulla alia ejus errata exponam, & ut videant

lectores, quænam fuerit hac de re ejus mentis sententia. Progreditur ergo: *Era proibito l' ordinare alcuno a qualunque offizio senza la previa publicazione, e il concilio Calcedonese* (can. 1. distinc. 70.) *per i disubbidienti dice: Eos autem, qui absolute ordinantur, decrevit sancta synodus vacuam habere manus impositionem, & nullum tale factum valere ad injuriam ipsius, qui eum ordinavit.*

Non dissimulandam existimo Chalcedonensis canonis interpretationem a Litta excogitatam ABSOLUTE *senza la previa publicazione* exponente, licet mea non admodum intersit, utpote quæ nimis recens & absurda videatur. Quotquot enim nunc memini legisse scriptores de hoc canone tractantes hæc verba *ordinari absolute*, & in hoc canone præsertim, pro ordinari sine titulo, seu sine inscriptione & affixione ad certam ecclesiam, certumque ejus ministerium interpretati sunt, si unum nuperrimum excipias, quem honoris gratia non nomino. Ita Christianus Lupus in hunc canonem, Van Espen in scholiis ad hunc canonem, Berardus in Gratianum p. 1. c. 22., aliique communiter recentiores, & inter veteres Balsamon & Zonaras

apud Van Espen citat. loco, nec non Josephus Ægyptius in sua paraphrasi Arabica, qui primam partem hujus canonis ita reddit: *Nemo ordinationem accipiat, nisi declaretur ei locus & sedes, ubi resideat, non presbyter, nec diaconus &c.* Capitulare vero Aquisgranense anni 789. c. 24. p. 163.: *Item in eadem synodo, ut nullus absolute ordinetur, & sine pronunciatione & stabilitate loci, ad quem ordinatur. Nullum absolute ordinari neque presbyterum .... nisi specialiter ecclesiæ civitatis vel vici vel martyrii, qui ordinandus est, fuerit declaratus.* Atto II. Vercellensis cap. 30.: *Nullum absolute ordinari debere presbyterum ... nisi specialiter ecclesiæ civitatis .... qui ordinandus est, pronuncietur, qui vero absolute ordinatur, decrevit sancta synodus irritam haberi hujusmodi manus impositionem &c.* Synodus Londinensis anni 1125.: *Nullus in presbyterum, nullus in diaconum, nisi ad certum titulum ordinetur, qui vero absolute fuerit ordinatus, sumpta careat dignitate.* His similia traduntur tanquam ex canone Chalcedonensi decreta in ordinationibus Syrorum Maronitarum a clariss. Assemanno editis in codice Liturgico ecclesiæ

universalis p. 113. Denique concilium Tridentinum sess. 23. c. 16.: *Sancta synodus, vestigiis sexti canonis concilii Chalcedonensis inhærendo, statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur.*

Pro ordinatione vero facta sine titulo, seu sine affictione ad aliquam ecclesiam exscribit Litta canonem concilio Placentino adscriptum (1). En ejus verba: *Eravi la legge, che nessuno fosse ordinato senza titolo, e Urbano II. nel concilio di Piacenza* (V. Berardi p. 1. c. 22. e 63.) *ordina: Sanctorum canonum statutis consona sanctione decernimus, ut sine titulo fa-*

(1) Dico hunc canonem huic concilio adscriptum, quia plane non constat in hoc concilio fuisse decretum. Berardus enim, quem citat Litta, notat canonem hunc abesse a vulgatis hujus concilii editionibus. Licet autem, ut animadvertit Labbeus, illum exhibeat vetus ms. codex eminentiss. Francisci Barberini, *tum in aliis ejusdem concilii*, (sunt verba Berardi) *editionibus nihil tale habeatur, imo Bertholdus ejusdem temporis scriptor, qui omnium Placentinorum capitum sententias perstrinxit, nihil tale memoraverit, non est eidem codici tanta fides præstanda, ut ex eo canonem ipsum tanquam certum & prorsus indubium Placentini concilii monumentum habere debeamus*. Hucusque Berardus a Litta laudatus.

cta ordinatio irrita habeatur. Refert deinde canonem 18. concilii Sardicensis, quo damnantur ordinationes ab episcopis factæ alieni ministri: *Quicunque ex alia parochia voluerit alienum ministrum sine consensu ipsius & sine voluntate ordinare, non sit rata ordinatio*.

Pergit postea ad ordinationes hæreticorum, de quibus hæc scribit. *Illecita fuor di dubbio è l' ordinazione fatta da' vescovi eretici. Quindi fuvvi grande quistione, se fosse anche nulla. Il Maestro delle sentenze rimane dubbio, e molti autori vi fanno parecchie distinzioni, che possono vedersi presso l'* Hallier, *il quale pienamente dimostra la validità dell' ordine ancorchè conferito da' eretici. Ma a buon conto convien confessare, che ne' canoni apostolici si legge: Si quis episcopus vel presbyter vel diaconus secundam ordinationem ab alio susceperit, deponatur & ipse, & qui ordinavit; nisi utique constiterit, quod ab hæreticis ordinationem habeat. La qual clausola dimostra al dir del Zonara e di Balsamone* (in can. 68. apostol.), *che riputavasi nulla l' ordinazione fatta dagli eretici*.

Antequam ea, quæ ex allatis cano-

nibus concludit Litta, referam, nonnulla animadvertenda sunt circa hujus apostolici canonis intelligentiam, quem si ipse integrum exscripsisset, ac examinasset, forsan cognovisset, nihil ad rem esse; illis enim, quæ transcripsimus, hæc immediate sequuntur: *Qui a talibus baptizati vel ordinati fuerunt, neque fideles, neque clerici esse possunt*. Vides itaque hunc canonem intelligendum esse simul & semel de hæreticorum baptismo atque ordinatione, & quidem de hæreticorum baptismo, qui absque tradita a Christo forma confertur, nisi etiam de rebaptizantium errore insimulandus sit. De hisce autem hæreticis tantummodo accipiendum esse verosimillimam rationem affert clariss. Beveregius libr. 2. c. 13. codicis canonum ecclesiæ primitivæ inquiens: *Cum secundo sæculo, vel tertii saltem initio conditus fuerit* (relatus apostolicus canon), *tales duntaxat hæretici in eo intelligendi sunt, quales istis diebus exorti fuerint. Neminem autem istis sæculis hæretici nomine notatum invenimus præter eos, qui pestiferis & blasphemis de Deo Patre vel Filio vel Spiritu Sancto opinionibus imbuti erant; quique propterea baptismum juxta Domini-*

cum præceptum in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti rite & catholice conferre non poterant.

Equidem de hisce hæreticis hunc canonem exponit Theodorus Studita & quidem apud eundem Balsamonem, quem citat Litta hanc forsan non advertens expositionem. Hæc enim lego in notis clariss. Cotelerii ad hunc canonem: *Extrema canonis sibi objecta Theodorus Studita epist. ad Naucratium apud Balsamonem p. 1100. explicat, hæreticosque intelligit eos, qui non baptizati sunt, vel* (non) *baptizant in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti; atque modo consimili canon 47. accipitur in collectione Cresconii & in Adriani epitome.* Morinus vero de sacris ordinationibus p. 3. exercitat. 5. c. 7. etiam verba Theodori refert, quæ hoc modo se habent: *Illud cogita, quod apostolicus quidem canon illos dicit hæreticos, qui non in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti baptizati sunt, vel baptizant:* eodem modo Zonaras & Balsamon videntur hæretici nomen intellexisse, cum hunc canonem interpretantur, ut inquit Morinus cit. loco, de quo rationem reddens ait: *Non ignorabant enim hæreticorum baptismum in nomine Trinita-*

tis datum valere ; Zonaras præsertim, qui in canone 7. secundæ synodi disertissime distinguit hæreticos baptizatos a non baptizatis ex eo, quod alii baptizant secundum formam ecclesiæ, alii autem alio modo baptizant, & ideo rebaptizandi.

Quamvis autem integrum retulerit apostolicum canonem Morinus, & ostenderit de hæreticis non baptizatis accipiendum esse auctoritate Theodori, Zonaræ & Balsamonis, quæ omnia reticuit Litta, vel saltem non animadvertit ; eodem tamen errore, ut mea fert opinio, quo & Litta lapsus est, dicens nullum ecclesiæ decretum in favorem ordinationum hæreticorum hactenus afferri posse, quo antiquissimus iste canon hac in parte corrigatur. Quare corrigi debet ? Nonne hæreticorum ordinationes, quorum baptismus nullus & cassus est, irritæ & inanes semper habitæ sunt ? Continua enim ecclesiæ praxis ac traditio fuit, ut qui rite baptizati non sunt, & in clericorum albo exscripti, iterum baptismi lavacro mundarentur, & altera ordinatione ad sacerdotii gradum eveherentur, ut demonstrant communiter theologi, & apertissime liquet ex can. 19. concilii Nicæni, quem suspicatur Beveregius citat. loco ni-

hil aliud esse, quam canonem apostolicum Paulianistis accomodatum, & de iis speciatim expositum. Hæc igitur supracitatus Nicænus canon: *De Paulianistis ad ecclesiam catholicam confugientibus definitio prolata est, ut baptizentur omnimodis*, idest ut rebaptizentur, prout habet versio Isidori Mercatoris, quod nempe debitam baptismi formam non usurpabant, *si qui autem de his*, sequitur canon, *præterito tempore fuerint in clero, si quidem immaculati & irreprehensibiles apparuerint, baptizati ordinentur ab episcopo ecclesiæ catholicæ*. Hinc vides perperam apostolicum canonem allatum fuisse a Litta, nec non a Morino, utpote qui non de omnibus hæreticis, sed solum de non baptizatis, proindeque etiam non ordinatis loquatur, illumque optime hac in re convenire cum Nicæno canone; in utroque enim hæreticorum ordinatio æque ac baptismus exploditur.

Concludit denique articulum Litta his verbis: *Lo stesso dicasi delle ordinazioni date dagli scismatici o da' simoniaci, sulle quali riscontransi le più energiche espressioni di nullità ne' canoni, ne' concilj, ne' sommi pontefici, e ne'* PP. E *pure o*

bisogna dire , che tutte le espressioni di nullità non significano , che semplice peccaminosità , o che siano trascorsi più in là trasportati gli uomini dalla grande inclinazione di creder nullo l' illecito .

Propositum Littæ in his duobus articulis , in quibus de rebaptizantium errore , & priscis ordinationibus contra canones factis loquitur , fuit ostendere hominum propensionem illud inane & omni effectu cassum existimandi , quod prohibitum est. Hinc in hujus rei confirmationem affert patres errore rebaptizantium imbutos, & canones conciliorum, quibus ordinationes illæ nullæ & irritæ pronunciantur. Consequens igitur est ea concilia, in quibus ordinationes damnantur , eadem propensione laborasse , eaque ducta hos canones decrevisse, turpiterque in ejus sententia errasse , eo ferme modo , quo rebaptizantes ; quod sane horrendum dictu mihi est. Neque dicas effugium aliquod reliquisse disjunctivam consequentiam , quam deducit ex his canonibus, scilicet, *o bisogna dire, che tutte le espressioni di nullità, non significano che semplice peccaminosità, o che siano trascorsi più in là trasportati gli uomini dalla grande inclinazione, di*

creder nullo l' illecito ; quoniam priorem propositionem potius tanquam absurdam posuit, quam ut veram & liberam alternationem constitueret, ut clare ex toto contextu liquet. Quod si etiam concederetur veram & liberam alternationem dedisse lectoribus, assumendi videlicet ex his duabus propositionibus quam libuerit, a religione adhuc abhorret, ut in lectorum sit libertate credere allata concilia hac fallaci inclinatione acta fuisse ad hos statuendos canones, quin imo in ejus sententia decepta fuisse. Ita qui de religione novitates tradere studet, in tales scopulos impingere necesse est.

Quid vero sentiendum sit de hisce damnatis ordinationibus, utrum scilicet illicitæ duntaxat fuerint, an etiam nullæ, non una est eruditorum opinio. Plurimi præsertim inter theologos docent validas fuisse quoad substantiam, ut ajunt, omnes ordinationes, dummodo secundum ritum legitimum a Christo præscriptum factæ fuerint, quamvis quoad functiones, seu usum & exercitium ordinis ligatæ sint ecclesiastico interdicto ita, ut ordinatus nequeat licite exequi, seu obire munera ordinis suscepti, licet si impie susceptos ordines exerce-

ret, valide exerceret; hinc relatos canones aliosque similes, in quibus nullæ & irritæ declarantur hujusmodi ordinationes, accipiendos esse asserunt de executione ordinum, in quantum scilicet episcopus ex. gra., qui contra canones ordinatus fuerit, tanquam episcopus habendus non fuerit, eumque prohibitum fuisse, ne ullas episcopales functiones obiret, licet revera episcopus fuisset. Vide si lubet Christianum Lupum dissert. 1., Hallerium de sacris ordinat. & elec. p. 3., Collet de ordine p. 2. c. 10. art. 2. sect. 2., Berti de theolog. discip. l. 36. c. 14.

Alii contra licet numero pauciores, ecclesiastica tamen eruditione nemini impares, contendunt veteres ordinationes non ambiguis formulis irritantibus damnatas, nullas prorsus & inanes fuisse. Inter hos eminet Morinus, qui de sacris ordinationibus p. 3. exercitat. 3. fuse lateque hanc propugnat sententiam. Brevi ejus opinionem suis verbis exponam: *Quædam* (inquit citat. loco cap. 9.) *sunt ecclesiasticæ institutionis, quæ licet mutari possint, & pro temporum & regionum varietate aliter atque aliter observari, tanti tamen sunt momenti, quamdiu ab ecclesia revocata aut*

abrogata non sunt, ut eorum omissio ordinationem reddat non modo inhonestam & illicitam, sed etiam irritam & nullam, omnique effectu & gratia cassam. Illa autem omnia ejusmodi conditiones sunt materiam sacramenti sic afficientes & determinantes, ut earum defectu materia reddatur ordinationi inepta. Illæ autem tam spectare possunt ordinantem, quam ordinandum. Ecclesia enim, meo judicio, definire potest, quibus conditionibus ordinans episcopus auctoritate sua uti debeat, quibusve cum donis & qualibus ordinandus sese ordinanti sistere, ut valide & efficaciter ordinem ab eo recipiat: ita ut si ordinans aut ordinandus definitionem hanc neglexerint, contraque egerint, actio sit nulla & irrita, atque ut effectus producatur, iteranda. Idem de hoc sacramento analogice dicendum, quod de matrimonio & pœnitentia, quorum materias videmus ecclesiam sæpe sub interminatione irriti sacramenti restrinxisse, dilatasse, vario tempore, variis modis determinasse. Morino plane assentit Berardus in can. Gratiani p. 1. c. 22.: *Sane clarissima sunt & maxime perspicua canonis* (scilicet Chalcedonensis supra relati) *verba, quibus irrita ordinatio decla-*

ratur; sed qui de rebus sacris ita disserere consueverunt, quasi de rebus physicis, & ex principiis unius philosophiæ, quam Aristotelicam appellarunt, sacramenta statim valide collata agnoverunt, ac materia cum forma conjuncta est, paulo aliter ratiocinantur. Verum cum hac theologorum turba non consentiunt viri eruditissimi, qui noverunt non tam ex verborum prolatione & rei sensibili usu, verum etiam ex vi ecclesiasticarum constitutionum validam sacramentorum collationem dependere. Vide Van Espen in canon. 68. inter apostolicos, nec non etiam Jo. Hyacintum Sbaraltam ordinis Minorum Conventualium in disput. de sacris pravorum ordinationibus Florentiæ edita.

Quidquid vero sit de hac celebri & admodum perplexa controversia, certum tamen est, nequaquam de validitate similium ordinationum, licet attentatæ sint contra canones, modo esse dubitandum; cum ecclesia quinque ab hinc sæculis nullas ordinationes adeo prohibitas esse voluerit, ut irritæ haberentur. Hinc vel ipsemet Morinus citata exercitatione c. 8. ait: *Unde hæretici & schismatici sic ordinati nova ordinatione opus non habent,*

sed sola reconciliatione. Quod de hæreticis & schismaticis diximus, multo magis de iis, qui ab excommunicatis, depositis, & degradatis ordinantur... Hactenus nullo ecclesiæ decreto quæstio tam perplexa & obscura decisa est; sed tam multorum doctorum concors, & tam diuturnus consensus (qui has ordinationes validas esse docet), *nobis est instar legis, quam dissensu nostro temerare nec volumus, nec debemus.*

Ex relatis porro monumentis irritum declarantibus hæreticorum baptismum, & ordinationes contra canones factas ita inepte argumentatur Litta art. 136.: *Nelle antichità trovo replicatamente l' opinione di nullità di battesimo, e degli ordini non lecitamente conferiti, non trovo che mai siasi detta nulla l' assoluzione non che da' peccati, ma neppure dalle censure data da un sacerdote non ostante qualunque proibizione. Eppure voi volete esigere, che io riconosca la validità de' battesimi e delle ordinazioni, e non quella delle assoluzioni.*

In hoc articulo, sicut in tota epistola impugnat Litta auctorem libri, cui titulus: *Le storte idee raddrizzate*, quo refellitur alter ipsius Littæ liber inscriptus:

Sul diritto di stabilire impedimenti dirimenti il matrimonio, e di dispensarne. Absit, ut ego alienis me immisceam contentionibus; at quod mea interest, silentio prætereundum non est. Falsum igitur primo dico nusquam in vetustis monumentis nullam pronunciatam fuisse absolutionem a peccatis datam a sacerdote absque episcopi auctoritate; si enim forte pro *nulla* verbo *irrita* vel æquivalenti utuntur veteres, eadem tamen in significatione usurpatur, ut ostendimus. Deinde hanc eandem vocem *nulla* adhibitam fuisse posterioribus sæculis, plurima suppetunt testimonia, ut mox videbimus. Interim sicut quando baptismus ab hæreticis collatus a rebaptizantibus dictus fuit irritus, omni effectu cassum esse intelligebant; & idem in Morini quidem sententia affirmandum est etiam de ordinationibus contra canones factis: ita quando irrita dicta est reconciliatio a presbytero data sine episcopi permissu, omni effectu cassam & inanem intellexisse præter dubium est. Pleno autem jure a catholico viro exigi potest, ut nihilominus validus baptismus ab hæreticis collatus habeatur, cum rebaptizantium error tanquam hæresis ab eccle-

sia damnatus sit; licet eadem ratione nequeat reposci, ut ordinatio contra canones facta, dum canones vigebant, qui irritam illam declarabant, valida & rata reputetur.

Non moror lectorem circa hanc celebrem de antiquis ordinationibus controversiam, nullaque ex sententia Morini argumenta desumam ad confirmandum inanes & vacuas fuisse illegitimas reconciliationes, quemadmodum nullæ & irritæ erant illegitimæ ordinationes, ne certa dubiis confirmasse videar: ii tamen, qui veteres damnatas ordinationes nullas & irritas fuisse pro certo habent, jam norunt illud idem majori etiam ratione affirmandum esse de illegitimis reconciliationibus. Illud solum animadverto quæstionem hanc saltem contrariis & fluctuantibus doctorum sententiis operosissime agitatam fuisse, & præsertim circa ordinationes ab episcopis degradatis vel depositis factas diutius disputatum fuisse; & inter præcipuas, quas contra harum ordinationum validitatem urgebant, rationes erat comparatio, quam inter sacramentum ordinis & pœnitentiæ instituebant, ex qua ita argumentabantur: irrita est absolutio, quam episcopus ex.

gra. depositus impertitur; ergo irrita quoque ordinatio; ut testatur Joannes de Bassolis in 4. distinc. 25. q. unica art. 2. ubi quærit (apud Morinum loco citat. c. 1.), *utrum episcopus degradatus vel depositus vere ordinat de facto, si attentet ordinare*. De hac re tres refert opiniones inquiens: *Dicunt aliqui quod non, quia ad hoc non sufficit vel dignitas episcopalis manens indelebilis; sed requiritur cum hoc jurisdictio super ordinandos; sicut in foro pœnitentiali requiritur jurisdictio super absolvendos. Et non sufficiunt etiam ad absolvendum etiam de facto claves sacerdotales; quia per primam pœnam, puta depositionem vel degradationem, tollitur omnis jurisdictio*. Quare si horum scholasticorum illatio non placet, saltem illationis fundamentum admittendum est, quod pro firmo & inconcusso ponebant, videlicet non sufficere claves sacerdotales, seu, ut ajebant, potestatem ordinis, ut quis vere absolvat; quoniam nullus mihi scriptor occurrit, qui illos circa ordinationes refellens, validas asseruerit pœnitentium reconciliationes, quæ absque jurisdictione concedebantur, quod argumento est certam ac communem fuisse hac de re sententiam.

Et quoniam de illegitimis ordinationibus sermo est, non prætermittendum sane argumentum, quod ex iis facile nobis objici potest. Certum siquidem est, ut etiam supra tradidimus, ratas nunc eas esse, etiamsi ab episcopis conferantur subditis alienis, scilicet iis, in quos nullam prorsus habent jurisdictionem. Quare si episcopi valide modo evehunt ex. gr. ad presbyteratus ordinem diaconos alienæ diœcesis sine consensu proprii præsulis, quod idem est, ac sine jurisdictione; cur valide non reconciliabit presbyter pœnitentem sine facultate episcopi? Id vidit etiam Litta, ac non sine confidentia urget § 138. inquiens: *Qual maggior necessità di giurisdizione riconoscereste voi, nel giudicar un reo, o nel formarsi un subalterno? Se per giudicar un reo fosse necessario, che egli sia per superiore volontà constituito suddito, per creare un subalterno si potrà prescindere dalla volontà del principale? Eppure valide sono le ordinazioni non fatte dal principale proprio, e poi farete tante difficoltà contro la validità dei giudicj sopra di un reo, che da se si fa suddito? Ma le incoerenze di un opinione addottata non*

si sentono, e par di vederne molte nell' opinione contraria.

Supponit hic Litta pœnitentem, dum se offert presbytero reconciliandum, ejus subditum se constituere, & sufficientem ei tribuere jurisdictionem, ut valide possit absolvi, unde ait: *Che da se si fa suddito*, quod purum putumque esse commentum opportuniori in loco demonstrabimus. Interim tamen ea, quæ ex ordinationibus habitis a præsule non proprio desumsit, ut necessitatem consensus episcopi, seu transmissæ jurisdictionis ad validam absolutionem oppugnet, diluenda sunt.

Et primo recolere oportet, quæ jam supra diximus circa illegitimas ordinationes. Quamvis enim eas modo ratas esse ac firmas communiter tradant theologi, in hoc tamen ideo conveniunt, quod ecclesia adeo non eas vetet, ut omni effectu cassas esse decernat; quippe non desunt, ut vidimus, eruditissimi auctores, qui contendunt, & posse ecclesiam inanes & vacuas reddere hujusmodi ordinationes, & revera olim sub comminatione irriti sacramenti illegitime habitas prohibuisse. At pœnitentiæ administrationem sine jurisdictione ita presbyteris interdicit ecclesia, ut

irritum & nullum esse sacramentum intendat; quod ex dictis liquet, & luculentissime postea confirmabitur. Quare, ut instituta comparatio sacramenti ordinis cum sacramento pœnitentiæ aliquid probet, necesse est, ut ecclesia eadem ratione, qua prohibet illegitimam collationem ordinis, prohibeat etiam reconciliationem a presbytero injussu episcopi datam.

Quod si volunt priscis ecclesiæ sæculis eodem modo utriusque sacramenti collationem contra canones habitam interdictam fuisse; respondemus adhuc sub judice litem esse, an ordinatio illegitima tunc irrita foret, proindeque nullum ex hoc firmum deduci posse argumentum pro valore absolutionis a presbytero impertitæ sine auctoritate episcopi: esset enim certa dubiis refellere.

Sed si natura, seu ratio utriusque sacramenti spectetur, patebit magis necessariam esse jurisdictionem in pœnitentiæ, quam ordinis sacramento, imo in primo de essentia ejus esse, non autem in secundo. Per ordinationem enim provehitur ordinandus ad gradum dignitatis, daturque ei potestas ad ministerium altaris exhibendum; per reconciliationem vero absol-

vitur pœnitens a culpa & cruciatibus æternis, condemnaturque pœna aliqua temporaria. De ratione autem promotionis esse, ut initiandus oblatam dignitatem acceptet, non inficiabimur; at nunquam demonstrari poterit eodem modo necessarium esse consensum illius, sub cujus imperio est is, qui promovetur. Equidem pluries vidimus alienos subditos a principibus in aliquo officio aut dignitate constitui, quin promoti princeps consentiens habeatur. At de criminibus perpetratis nemo valide absolvitur, aut condemnatur vel in eodem regno, nisi ab illo magistratu, cui reus subjectus est, vel ad summum ab eo, qui super omnes principatum obtinet; quippe quod non absolvitur, vel condemnatur, nisi per verum & proprium judicium, de cujus ratione est, ut in subditos tantummodo feratur, idest in eos, in quos judex jurisdictionem habet. Convenire vero sacramento pœnitentiæ rationem veri & proprii judicii, & secundum ipsius naturam exigere jurisdictionem jam ex se constat, cum illius sit condemnando absolvere; & postea diserte demonstrabitur.

Tandem animadvertendum est hoc maxime interesse inter utrumque sacra-

mentum, quod minister ordinis est episcopus, minister vero pœnitentiæ, de quo nos loquimur, est presbyter, solas quippe reconciliationes a presbyteris sine institutione aut delegatione episcopi datas proposuimus, & intendimus ostendere nullas & irritas esse. Porro episcopi apostolis succedunt, & quidem quantum ad potestatem ordines conferendi, aliosque episcopos consecrandi, ut ecclesiasticum ministerium in ecclesia perpetuetur, & ut adimpleatur illud Matth. 28. v. 22., quod Christus ascensurus apostolis promiserat: *Et ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Quare hæc episcopalis auctoritas, licet ecclesiasticis legibus regulari ac dirigi possit, in se tamen perfecta est, ac completa; proindeque, nisi fortasse ecclesia ita eam circumscribat, ut in irritum cedere velit, si contra canones exerceatur, facile intelligitur episcopos illicite quidem, sed valide alienos subditos sacris ordinibus initiare, utpote necessariam habentes potestatem. E contrario presbyteri coadjutores quidem ecclesiæ præsulum sunt, habilesque & idonei, ut ab ipsis demandari eis possit pœnitentium reconciliatio, at perfectam & completam

potestatem ligandi atque solvendi non habent, ut supra ostendimus, neque immediate eis sicut apostolis eorumque successoribus dictum est a Christo: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt;* ideoque necessario absolutiones ab ipsis datæ citra episcoporum sententiam omni effectu cassæ esse debent, utpote sine sufficienti potestate impertitæ. Ex quibus omnibus liquet comparationem sacramenti ordinis cum sacramento pœnitentiæ institutam ad propugnandum valorem absolutionis a presbytero concessæ injussu episcopi nullam prorsus esse, nullumque facessere negotium.

CAPUT IV.

Monumenta sæculi XIII. & sequentium usque ad concilium Tridentinum, quibus confirmatur irritam & nullam esse absolutionem a presbytero datam injussu episcopi.

Antequam de absolutione a peccatis verba faciamus, nonnulla prænotanda sunt

de absolutione a censuris. Præter dubium est presbyteros sine licentia episcopi valide absolvere non potuisse a censuris ab eo latis, vel de jure ipsi reservatis, ut liquet ex centies repetitis canonibus, quorum aliquos duntaxat exscribam, ne de re certa testes non necessarios videar afferre. Petrus Burdigalensis episcopus in suis constitutionibus anni 1203. c. 7.: *Statuimus, imo verius in jure declaratum est & statutum, quod excommunicatus, interdictus, vel suspensus a quocunque judice, si de facto absolvatur ab alio, quam a judice, qui sententias tulerit, vel a proprio capellano* (parocho scilicet) *in necessitatis articulo, pro absoluto minime habeatur*. Paulo post edita fuere statuta Jacobi Ebredunensis ecclesiæ archiepiscopi, & aliorum archiepiscoporum comitatus Provinciæ, in quorum secundo hæc habentur: *Quod nullus quemquam præsumat ab injectione manuum in clericum quantumcunque modica sive levi absolvere, non habita ordinarii licentia nec obtenta. Quod si secus præsumptum fuerit, pro non absoluto habeatur, & vitetur, ut prius &c.*

Item absolutiones ab excommunicatione reservata sine auctoritate episcopi a presbyte-

ro concessas nullas declarat concilium Lambethense postea referendum aliaque plura; idque constabit insuper ex iis, quæ dicemus de nullis & irritis absolutionibus a peccatis sine permissu episcopi impertitis a presbyteris, ut mox videbimus.

His prænotatis circa absolutionem a censuris, nunc agendum de absolutione a peccatis impertita a presbytero sine concessa ab episcopo, seu ab eo, cui de jure convenit, ut eam tradere possit, facultate, seu attributa potestate. Episcoporum permissio seu potestas, quam attribuunt presbyteris, reconciliandi pœnitentes, jam sæculo 13. jurisdictio communiter vocabatur, quod revera ea presbyteris assignantur subditi, in quos sententiam ferant in conscientiæ foro; quæ duplicis potissimum generis est, alia dicitur ordinaria, alia delegata. Prior convenit iis omnibus presbyteris, quibus ex officio pœnitentiæ sacramenti administratio incumbit, ut parochis, quæque una cum officio ab episcopis conceditur; altera iis, quibus committitur ab episcopis pœnitentium reconciliatio. Hæc autem jurisdictio, sicut docuimus in prima dissertatione, quibusdam terminis circumscripta impertitur, videlicet

hoc ævo, de quo loquimur, casibus reservatis limitata. Itaque monumenta, quæ allaturi sumus, alia irritam & nullam dicunt absolutionem, quam presbyter concedit pœnitenti casibus reservatis irretito, alia generatim nullius momenti declarant reconciliationem datam a presbytero, qui ordinariam aut delegatam non habet jurisdictionem in personas, quas absolvit. Utraque evincunt præter eam potestatem, quam ordinis nominant, necessariam esse in presbyteris, ut valide absolvant, jurisdictionem in personas reconciliandas, quam episcopi tribuere debent; proindeque satis non esse, ut pœnitens se offerat presbytero, ac ei se subjiciat, ut inter alios commentus est Litta.

In primordiis ecclesiæ & per aliquod temporis omnes ad solos episcopos accedere debebant, ut reconciliationem assequerentur; quod vidimus in prima dissertatione; deinde cum presbyteris hoc munus demandari cœptum esset, fideles non alteri, quam proprio sacerdoti præter episcopum, idest ei, qui specialiter ad regimen animarum tanquam proprius sacerdos erat in aliquo vico præpositus ac deputatus, vel ad summum etiam presbytero, cui ab

episcopo vel proprio sacerdote quidam pœnitentes assignabantur, peccata confiteri poterant (1): neque sacerdos indistincte in quoslibet fideles jurisdictionem habebat, sed in illos duntaxat, quorum cura erat ipsi concredita. Hinc pluribus sæculis obtinuit, ut confessio alieno sacerdoti facta, & absolutio ab illo impertita sine licentia proprii sacerdotis irrita haberetur. Id tanquam notum & exploratum tradit concilium Lateranense anni 1215. celebri illo canone *omnis utriusque sexus* his verbis: *Si quis alieno sacerdoti voluerit justa de causa confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ille ipsum non possit solvere vel ligare*. Sane si non potest solvere vel ligare alienus sacerdos, frustra tentabit absolvere, ideoque nulla & irrita erit absolutio.

Hoc idem confirmat s. Thomas firmissimo argumento in 4. sentent. distinc. 17. q. 3. art. 3.: *In pœnitentia actus accedentis ad sacramentum est de substantia sacramenti eo, quod contritio, confessio,*

(1) Vide Chardon in historia sacramentorum de pœnit. sacram. l. 1. c. 11.

ſatisfactio, ſunt pœnitentiæ partes, quæ ſunt actus pœnitentis. Actus autem noſtri cum in nobis principium habeant, non poſſunt nobis ab alio diſpenſari niſi per imperium: unde oportet, quod ille, qui diſpenſator hujus ſacramenti conſtituitur, ſit talis, qui poſſit imperare aliquid agendum. Imperium autem non competit alicui in alium, niſi qui habet ſuper eum juriſdictionem: & ideo de neceſſitate hujus ſacramenti eſt non ſolum, ut miniſter habeat ordinem, ſicut in aliis ſacramentis, ſed etiam quod habeat juriſdictionem; & ideo ſicut ille, qui non eſt ſacerdos, non poteſt hoc ſacramentum conferre, ita nec ille, qui non habet juriſdictionem; & propter hoc oportet ſicut ſacerdoti, ita proprio ſacerdoti confeſſionem fieri. Cum enim ſacerdos non abſolvat, niſi ligando ad aliquid faciendum, ille ſolus poteſt abſolvere, qui poteſt per imperium ad aliquid faciendum ligare. His similia habet distinc. 19. q. 1. art. 3., summ. 2. 2. q. 39. art. 3., & l. 4. contra gentiles c. 62. in fine. Et licet in opusculo contra impugnantes religionem propugnans privilegia fratrum Mendicantium adversus Guillelmum de Sancto Amore doceat eos audire posse

confessiones; pro fundamento tamen ponit, quod debita muniti sint jurisdictione *ex auctoritate & commissione episcoporum*, vel privilegiis summorum pontificum, quæ hanc ipsis tribuant facultatem. Ait enim c. 4.: *Sacerdos proprius non solum est parochialis, sed etiam episcopus, vel papa ... Unde qui confessus est episcopo suo, vel alicui habenti vicem ejus, confessus est proprio sacerdoti*. Tradit insuper summum pontificem concedere potuisse jurisdictionem fratribus Mendicantibus, *quod habet immediatam jurisdictionem in omnes christianos*, scilicet qualem habet episcopus in fideles suæ diœcesis, parochus in subditos suæ parochiæ. Legatur illud opusculum, & hanc fuisse sententiam D. Thomæ palam fiet.

Alensis idem prorsus tradidit circa necessitatem jurisdictionis in ministro sacramenti pœnitentiæ p. 4. q. 20. his verbis: *Quod jurisdictio requiratur, patet: sacerdos enim est mediator, ut actum est, & sic inferior de Deo & superior pœnitente, quia nemo potest aliquem judicare, nisi judex ejus constituatur ab eo, qui potest, & ita jurisdictio est tanquam vis motiva ipsius clavis, sive manus: hac autem deficiente*

non est, qui clavem moveat, & ita si sit clavis, nunquam aperiet: unde si amittitur hæc jurisdictio, cessat clavis executio.

Plane concinit Alensi ejus discipulus s. Bonaventura in 4. senten. l. 4. distinc. 19. art. 2. q. 1., & art. 3. q. 1., ubi hæc habet: *Nullus alterius parochianum judicare, ordinare, aut excommunicare præsumat, quia tale judicium, aut ordinatio, vel excommunicatio nec rata erit, nec vires ullas habebit*; & paulo post: *Istorum* (idest parochorum) *jurisdictio arctata est ad portiunculam determinatam, & cuilibet commissa est sua portio secundum rectam ordinationem, & illa judicatur esse messis sua. Et quoniam non licet alii sacerdoti mittere manum vel falcem in alienam messem: ideo alius non habet potestatem ejus subditum absolvere, nisi sit superior, vel vicem habeat superioris.*

Ex his prorsus liquet communem sæculo 13., quo floruerunt tres laudati theologorum principes, fuisse scholarum sententiam, non alteri, quam proprio sacerdoti, criminum confessionem faciendam esse, illumque solum proprios pœnitentes a peccatis absolvere potuisse adeo, ut nulla & irrita haberetur absolutio a quopiam al-

tero impertita. Revera quomodonam de theologorum sententia dubium aliquod suboriri poterit, si concilium Lateranense supra relatum non ambiguis verbis id docuerit?

Eandem vero esse rationem absolutionis a sacerdote concessæ fidelibus sibi non commissis, ac absolutionis datæ fidelibus propriis, sed casibus reservatis irretitis, jam per se patet, quia utroque in casu sacerdos necessaria caret jurisdictione, idque confirmat s. Thomas in 4. sentent. q. 19. art. 3. inquiens: *Potestas ordinis, quantum est de se, extendit se ad omnia peccata remittenda; sed quia ad usum hujus potestatis, ut dictum est, requiritur jurisdictio, quæ a majoribus in inferiores descendit, ideo potest superior aliqua sibi reservare, in quibus judicium inferiori non committat*. Cum autem *de necessitate sacramenti* sit jurisdictio, ut supra docuerat, consequens est eadem prorsus ratione, qua nulla asseritur absolutio ab alieno sacerdote tradita, omni prorsus effectu cassam dicendam in ejus sententia esse absolutionem a proprio sacerdote datam casibus reservatis irretito.

Revera nullius momenti habitam fuisse sæculo 13. absolutionem de reservatis

attentatam a presbytero, æque ac absolutionem, quæ ab alieno sacerdote fuerit impertita, præclare nos docet Adamus Bavarus in sua theologia versibus conscripta (1), cujus vetus apographum ms. summa comitate mihi exhibuit com. Camillus Aleardus Bergomatis ecclesiæ canonicus vir eruditus & in re diplomatica apprime versatus, qui hæc tradit:

Si confessorem te fecit episcopus omni
Pro viciis pœnas inflige; sed excipiantur,
Qui sunt in banno, quos non solvas aliquando,
Non de solemni facto, quod pertinet ad te,
Ni sit in extremis; tunc injungas & eidem
Ire papam, Dominus dum sane(2) fecerit illũ.
Crimina se quædam, quæ spectant præsulis ad vim,
Vel papæ, quorum tibi non datur ulla potestas.

(1) De hoc auctore hæc habet clariss. Albertus Fabricius bibliothec. latin.: *Adamus Bavarus idem cum monacho Alderspacensi in Bavaria ordinis Cisterc. circa A. C. 1250.; cujus theologiam moralem versibus hexametris adhuc ineditam legit in bibliotheca Alderspacensi, laudatque Joannes Caramuel in dedicatione partis primæ theologiæ regularis.*

(2) Fortasse *sanum*.

In his versibus descriptam habes disciplinam ecclesiæ circa casuum reservationem. Antea tradiderat episcopi esse electionem presbyteri ad confessiones audiendas, hic subjungit primo hunc approbatum presbyterum prohibitum esse, ne excommunicatos reconciliet, qui illis verbis significantur, *qui sunt in banno*; cum excommunicati *banniti* etiam nuncuparentur, ut videre est apud Cangiun ver. *banniti*; secundo mentionem facit casuum summo pontifici & episcopo reservatorum, in quos nullam prorsus habere potestatem sacerdotes asserit, quod idem est, ac si dixisset, omni effectu cassam futuram fuisse absolutionem a sacerdotibus impertitam his criminibus irretito, cum inanis revera & omni effectu cassa sit ea absolutio, quæ sine potestate tribuitur.

Sed ad concilia & summorum pontificum decreta pergamus, in quibus usque ad nauseam, ut ita dicam, repetitum invenitur nihil facere presbyterum, qui injussu episcopi pœnitentem reconciliare attentat. Et primo concilium Oxoniense anno 1222. statuto de pœnit: *Item nullus sacerdos alterius parochianum admittat ad pœnitentias, nisi de licentia sui presbyteri*

aut episcopi. Deinde cum clerici suos haberent proprios confessores (1), concilium decernit, ut singulis decanatibus ab archidiaconis duo præficiantur probatæ opinionis sacerdotes, apud quos clerici suorum criminum sarcinam deponere, & validam absolutionem consequi valeant, apertissime declarans eos, ad quos accedere nonnulli solebant, nullam eos reconciliandi potestatem habere; en concilii verba: *Cum sæpe contingit, quod rectores ecclesiarum & nonnulli sacerdotes, & in sacris ordinibus constituti, eo quod nullius, ut eis videtur, quoad forum pœnitentiale sint filii subjecti, aut omnino non confitentes, aut ad alios religiosos, vel ad eos accedant, qui nullam habent ipsos ligandi vel solvendi potestatem, statuimus &c.* Quare nullam habere potestatem dicuntur? Nisi quod jurisdictione carebant. Absque jurisdictione igitur vel ab episcopo tributa, vel ab eo, cui de jure convenit, absolutio a presbytero data nulla erat.

(1) De propriis clericorum confessoribus vide Thomassinum de antiqua & nova eccles. discip. p. 1. l. 2. c. 10.

Innocentius 4. in bulla ad cujuscunque ordinis regulares ann. 1254. (1): *Sane gravis & clamosa querela nostris assidue auribus inculcatur, quod nonnulli vestrum suis juribus & finibus non contenti, parochianos alienos præsumant temere ad duo officia recipere contra canonicas sanctiones; & licet dictorum parochianorum judices non existant, nec ligandi nec solvendi eos acceperint potestatem: se tamen ipsorum judices facientes, ipsos in foro pœnitentiali periculose absolvunt & ligant pro suæ libito voluntatis* ... & post pauca: *Mandamus, quatenus parochianos alienos* ... *sine sacerdotis sui licentia ad pœnitentiam ullatenus admittatis, cum si quis alieno sacerdoti justa de causa voluerit confiteri peccata, secundum statuta generalis concilii licentiam prius postulare & obtinere debeat a proprio sacerdote* ... *aliter namque ab ipso solvi non poterit, cum duplex in judicando funiculus, scilicet potestatis & scientiæ requiratur, quorum alterum constat in alieno deficere sacerdote.*

(1) In collectione actorum cleri Gallicani tom. 5. p. 3. tit. 5. numero 32.

Idem pontifex superiori anno Narbonensi episcopo non absimilem misit constitutionem, qua hæc habentur (1): *Quamquam religiosi, cum non sint sui* (scilicet parochianorum) *judices, ipsos non possunt solvere vel ligare: imaginaria tamen quadam absolutione ipsis illudere, ac nostræ peregrinationis postmodum conferre viaticum in suarum non verentur dispendium animarum. Ex quo illud inconveniens evenit, quod celerem sibi parochianus talis damnationem inducit, qui non dijudicans corpus Christi, ipsum a labe sic suscipit criminum non mundatum.* Hæc sane manifesta sunt, nec ulla egent interpretatione.

Circa absolutionem vero a sacerdote attentatam de casibus reservatis non omittenda censeo, quæ veteres explanatores regulæ s. Francisci in c. 7., quod de peccatis ministris provincialibus reservatis loquitur, habent. Itaque s. Bonaventura comparat peccata reservata dæmoniis, quo-

(1) In Stephani Baluzii appendice ad concilia Galliæ Narbonensis.

rum ejectionem sibi Christum servasse tradit inquiens: *Juxta quod Dominus ejectionem dæmoniorum suis miraculis reservavit*. Joannes de Pecchano his simila docet scribens: *In hujus figuram Dominus Jesus suæ curationi graviora dæmonia voluit reservari, sicut patet Matth. 17. & Lucæ 9. in curatione Lunatici, de quo ibi dicitur, obtuli discipulis tuis, & non potuerunt curare eum*. Si adeo sibi reservavit Christus Jesus Lunatici curationem, ut nequirent discipuli eum liberare a dæmonio, eadem ratione in horum doctorum sententia dicendum erit adeo sibi reservasse præsules quorundam reconciliationem, ut simplices presbyteri nihil facerent, si eos absolvere tentassent.

Sed ad concilia redeamus. Concilium Redingense ann. 1279.: *Circa confessiones autem taliter duximus ordinandum, ut in loco tantum fiant publico coram altari exposito, transeuntibus universis, nec valeat absolutio secus facta*. En novum reservationis genus ratione loci constitutum, quo sine ulla hæsitatione abrogantur absolutiones subtrahendo sacerdotibus jurisdictionem.

Concilium Lambethense a Cantuariensis provinciæ episcopis celebratum ann.

1281. c. 6.: *Sacramentum pœnitentiæ naufragantium remedium singulare per quorundam insipientium* (forte insipientiam) *sacerdotum debito caret fructu, & qui credit a fluctibus emergere, perniciosius in damnationis pelagum demergitur, dum de facto absolvunt plurimos, quos de jure absolvere nequeunt, .. utpote absolventes de facto excommunicatos de jure, & præcipue ab Oxoniensi concilio &c.* Quamvis concilium expresse de excommunicatis loquatur, de sacramentali etiam absolutione intelligendum esse præter dubium est. Donasse enim excommunicatos absolutione ab excommunicatione & a peccatis patet, cum *sacramentum pœnitentiæ propter insipientiam sacerdotum debito carere fructu* tradat. Ex quibus sane verbis insuper constat utramque absolutionem irritam & nullam habitam fuisse.

Synodus Pictavensis Galteri episcopi ann. 1284. c. 3.: *Cum secundum canonicas sanctiones omnis utriusque sexus ecclesiastica sacramenta eidem necessaria seu convenientia singulariter a proprio debeat recipere sacerdote; & nonnulli laici* ... ab aliis *scienter recipere non formidaverint, nec formident in suarum periculum animarum,*

cum a tali absolvi nequeant vel ligari; nos volentes huic periculo cautela, qua possumus, obviare, ne sanguis eorum de nostris manibus requiratur, talia fieri generaliter prohibemus &c.

His similia sanxit synodus Exoniensis ann. 1287. c. 5.: Prælati *moneant parochianos suos, quod ... peccata sua integre proprio sacerdoti, vel alteri de ipsius licentia confiteantur. Licentia vero petita, & assignata rationabili causa, non denegetur; alioquin pœnitentes frustra se detegerent alieno, cum ipse absque licentia eos absolvere non poterit vel ligare, nisi de mandato superioris.*

Bonifacius 8. ann. 1298., ut ex cap. *si episcopus* de pœnit. & remiss.: *Si episcopus suo subdito concesserit, ut sibi possit idoneum eligere confessorem, ille, quem is elegerit, in casibus, qui eidem episcopo specialiter reservantur, nullam habet penitus potestatem.*

Synodus Bajocensis habita circa annum 1300. can. 108. antiquæ inhærens ecclesiæ disciplinæ, qua clerici non nisi episcopo & quibusdam determinatis sacerdotibus criminum suorum confessionem facere poterant, præcipit, ut vel ei, vel

suis pœnitentiariis confiteantur, asseverans nullius esse momenti absolutionem ab aliis acceptam sacerdotibus; inquit enim: *Districte præcipimus, quod quilibet sacerdos, maxime curam animarum habens, capellanus, seu vicarius perpetuus temporalis nobis vel pœnitentiariis nostris saltem semel in anno sua fideliter confiteatur peccata: cum ab alieno sacerdote, qui curam animarum* (scilicet eorum) *non habet, absolvi non possint, & absolutio facta* ab alio, *quam suo prælato, nullius noscatur esse momenti*.

In constitutionibus Nicosiensibus, quæ t. 15. Labbei col. 714. habentur forsan ante ann. 1300. factis const. 10.: *Quia vero sententia a non suo judice lata non tenet, prohibemus districte, ne quis sacerdos non curatus, aut nostram non obtinens licentiam in civitate Nicosiensi, aut diœcesi confessiones audiat, solvat, aut liget; nisi necessitatis inevitabilis articulus hoc exposcat.* Jam supra animadvertimus in conciliorum canonibus decretum fuisse, ut in mortis discrimine constituti a quolibet sacerdote reconcilientur, quod semper observatum est. At extra casum necessitatis absolutiones datæ ab alieno sacerdote tanquam sen-

tentiæ *non sui judicis*, quæ nullius momenti sunt, rejiciuntur.

Concilium Trevirense ann. 1310. c. 86.: *Districtius inhibemus .... ne aliquis sacerdos non habens parochiam sive animarum curam ... sacramenta ecclesiastica ministret populo sine nostra, aut episcopi loci licentia speciali, aut illius, cui animarum cura in illo loco commissa est, cum constet absolutiones & remissiones ab eo absque licentia hujusmodi tanquam a non suo judice factas, nisi duntaxat in casu necessitatis, nullius fore momenti.*

Eodem anno celebratum fuit concilium Moguntinum, in quo eandem doctrinam *certi & indubitati juris* esse decernitur: *Inhibemus, ne quis alienum parochianum ... ad confessionem recipere ... cum certi & indubitati juris existat talem a tali crimine solvi non posse aliquatenus vel ligari*, videlicet nisi a proprio sacerdote. Si valida esset non sui sacerdotis absolutio, sane non solum aliquatenus, sed revera potuisset ab alieno sacerdote *solvi & ligari*.

Jam in prima dissertatione retulimus casuum reservatorum catalogum, quem edidit in concilio Bergomi habito ann. 1311. Castonus sive Cassonus Mediolanen-

sis archiepiscopus ; nunc decretum , quo illum indixit , exscribendum ; nihil enim luculentius esse potest ad rem nostram confirmandam . Inquit igitur : *Non solum in foro contentioso, sed etiam in foro pœnitentiali nullus ligari potest a non suo judice, vel absolvi, & quidam pœnitentiales casus existunt pontificibus solummodo reservati, in quibus de jure inferioribus potestas non competit absolvendi. Ea propter ne quisquam in sacerdotio constitutus circa eos aliquem decipiat, vel potius semetipsum, præsenti constitutione sancimus, quod nullus presbyter inferior episcopo cujuscunque dignitatis exstiterit, regularis, aut etiam sæcularis existens, absque auctoritate & præsentia sui archipræsulis sive pontificis vel ejus vicarii in spiritualibus, nisi super hæc apostolicæ sedis privilegio aut consuetudine approbata, vel a jure fuerit præmunitus, ad infrascriptos casus pœnitentiales suam potestatem extendat, vel se aliquatenus intromittat de aliquibus in foro pœnitentiali, articulo mortis duntaxat excepto, vel ipsorum aliquo absolvendis; contrafacientem vero presbyterum sæcularem vice qualibet in centum solidos Papienses diœcesanæ curiæ condemnamus in pios usus converten-*

dos, & absolutionem talem tanquam a non suo judice factam decernimus nullam esse, quos per singulos antistites in suis constitutionibus synodalibus inscribi volumus, & haberi.

Concilium Ravennate 4. ann. 1317. rubrica 2.: *Cum de jure nullus' sacerdos alteri subditum sine sui superioris commissione . . . solvere valeat, vel ligare, nos quandam consuetudinem . . . cupientes penitus extirpare sub excommunicationis pœna inhibemus &c.*

Concilium Rotomagense ann. 1335. c. 11.: *Quia etiam plerique religiosi excommunicatos a canone, præterquam in casibus a jure permissis; aliqui etiam sæculares, sicut fide digna tenet assertio, a peccatis, quæ sibi in foro pœnitentiæ aperiuntur, frequenter absolvunt, etiam in casibus sedi apostolicæ, & diœcesanis specialiter reservatis, in hoc graviter delinquendo, & confitentes hujusmodi decipiendo, qui se, cum tamen non sint, reputant a dictis omnibus absolutos . . . Ideo statuit . . . quod singuli diœcesani in suis synodis, & decani in suis capitulis exponant casus sedi apostolicæ & diœcesanis specialiter reservatos.*

Concilium Saltzburgense ann. 1386. c. 3.: *Cum interdum tam a ſede apoſtolica, quam ex ſpeciali indulto, pleriſque gratioſe concedatur, ut in caſibus ſuperioribus reſervatis cum ſibi ſubditis diſpenſare, ac eos absolvere, eiſque pro modo culpæ pœnitentiam injungere valeant competentem: verum quia nonnulli indulto hujuſmodi abutentes, pœnitentias hujuſmodi in pecuniarum proprium & burſalem quæſtum vertunt: nos igitur attendentes, quod privilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate, decernimus hujuſmodi indulgentias a nobis conceſſas poſt hujuſmodi abuſum eſſe nullas, vacuas, & inanes, declarantes etiam abſolutiones, quas tales abutentes impenderint, ſimiliter fore nullas.*

Item Saltzburgense ann. 1420. c. 25.: *Nos ſanctorum patrum, qui eccleſiæ ſanctæ Dei & perſonis eccleſiaſticis terminos ... poſuerunt, ſtatuta conſiderantes ... univerſis ſacerdotibus ... firmiter inhibemus, ne quis alienum parochianum ... ad confeſſionem recipere ... præſumat non petita deſuper & obtenta licentia proprii ſacerdotis: cum minime incerti & indubi-*

tati juris existat, talem a tali crimine solvi non posse aliquatenus, vel ligari.

Concilium Magdeburgense ab Adalberto archiepiscopo celebratum ann. 1489., in quo etiam provincialia prædecessorum suorum statuta innovat, & reformat, hæc decrevit: *Nos sanctorum patrum, qui ecclesiæ sanctæ Dei & personis ecclesiasticis terminos, quos non licet transgredi, posuerunt, statuta considerantes, hujus sacri approbatione concilii, universis sacerdotibus... firmiter inhibemus, ne quis alienum parochianum... ad confessionem præsumat recipere... cum certi & indubitati juris existat talem a tali aliqualiter solvi non posse, vel ligari &c.*

Concilium Senonense dici consuetum Parisiense, Lutetiæ Parisiorum inchoatum ann. 1527., & consummatum anno sequenti decreto 37., inter decreta ad mores pertinentia: *Qui volunt Mendicantibus confiteri, videant prius, si sint de nominatorum & approbatorum numero, alias absolutos se non fore intelligant.*

Hi certe canones, quos retuli, explicatione non indigent; in iis enim apertissime decernitur nullius esse momenti absolutionem a presbytero impertitam absque

concessa ab episcopo, vel ab eo, cui de jure convenit, jurisdictione, quin ullo pacto obscurari, aut declinari possint. Caret autem jurisdictione presbyter, qui sine episcopi vel parochi licentia pœnitentiæ sacramentum administrat, vel qui a reservatis absolvere tentat, ac proinde reprobatam perspicuis canonibus habes clariss. Littæ opinionem, qua tradit eam esse sufficientem jurisdictionem, ut presbyter valide Deo reconciliet pœnitentem, quam ab ipso pœnitente accipere presbyterum commentus est, dum ei sese offert reconciliandum.

Antequam tamen huic capiti finem faciamus, solvendum superest objectum, quod ex allatis canonibus, & quidem præsertim ex famoso illo canone Lateranensi *omnis utriusque sexus* nobis facile opponi potest. Constat quippe ex eo Lateranensi canone, aliisque, qui ad ejus normam conditi sunt, parochos propriis parochianis licentiam dare potuisse, ut alieno sacerdoti peccata confiterentur. Hinc quamplurimi eruditi illum indefinite accipientes contendunt parochos facultatem facere potuisse cuilibet sacerdoti etiam non approbato confessiones suorum parochianorum audiendi, proindeque jurisdictionem attri-

buere quivisse cuicunque presbytero, qua ille valide a peccatis absolveret, quin ulla institutione vel delegatione episcopi indigeret, quod sane labefactare videtur id, quod hactenus demonstrare conati sumus.

Verum hanc Lateranensis canonis acceptionem absonam esse mihi persuasum est, quod ut pateat, denuo afferantur verba: *Si quis autem alieno sacerdoti voluerit justa de causa confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat a sacerdote proprio, cum aliter ipse non possit solvere vel ligare*. In confesso est apud omnes proprii sacerdotis nomine hic proprium parochum venire. Ergo alieni sacerdotis nomine alienum parochum intelligi dicendum est. Qui enim nullius populi sacerdos est sive parochus, alienus sacerdos dici nequit. Hanc autem interpretationem confirmat etiam clariss. Joannes Launojus in observationibus ad explicatam ecclesiæ traditionem circa hunc canonem, dum ait observ. 2. §. 4.: *Deinde sacerdos alienus cum is sit, qui alteri parochiæ præest, directe opponitur ei, qui propriæ parochiæ cum præsit, sacerdos inde proprius vocatur*. Ex hoc igitur canone inferri tantummodo potest, proprium sacerdotem demandare

posse potestatem proprios parochianos reconciliandi alteri parocho, non autem indefinite cuicunque sacerdoti.

Equidem parochos propriis parochianis licentiam concedere nequivisse, ut indiscriminatim cuicunque sacerdoti etiam ab episcopo non approbato confiterentur, apertissime tradunt Albertus Magnus & s. Raymundus, qui paulo post celebrationem concilii Lateranensis floruerunt, quorum primus in 4. senten. 17. art. 42. hæc scribit: *Hæc autem, quæ dicta sunt, intelligenda sunt de eo tantum, qui habet auctoritatem imponendi pœnitentias a superiori, episcopo scilicet, vel legato, vel papa, quia ad alium eundi non potest dare sacerdos proprius licentiam; & causa hujus est, quia licet sacerdos posset subditum relaxare, ut alii confiteatur, non tamen potest transferre jurisdictionem in eum... qui habet alas ligatas, sed superior tantum, & ideo licet subditus in tali casu possit alii confiteri, non tamen quilibet alius potest eum audire*. Et s. Raymundus in summa libr. 3. tit. 34. de pœnit: *Sed nunquid in his casibus poterunt audire confessionem illi sacerdotes, quibus non est data potestas ab episcopo? Respondeo indi-*

stincte, *quod non in primis quatuor casibus*. Inter hos quatuor casus hunc recensuerat: *Item si petiit*, *& obtinuit licentiam a sacerdote suo*, *quem videbat imperitum & insufficientem*, *volens ire ad alium discretum &c.* Cujus rei duplicem rationem reddit inquiens: *Una*, *quia isti non sunt modi dandi jurisdictionem ei*, *qui alias non habet*; *alia*, *quia licet ipsi pœnitentes sint absoluti*, *quod possint confiteri* (idest soluti a lege faciendi confessionem proprio sacerdoti), *non tamen sunt isti* (idest sacerdotes) *absoluti*, *quod possint audire*. *Item proprius sacerdos non potuit talibus dare jurisdictionem sive potestatem talem*, *sed episcopus solus potest illis*, *qui sunt in suo episcopatu*. Quid his præclarius afferi potest?

Hoc idem liquet etiam ex constitutione 10. Nicosiensi supra relata, qua indefinite vetatur: *ne quis sacerdos non curatus*, *aut nostram* (idest antistitis) *non obtinens licentiam*, *in civitate Nicosiensi*, *aut diœcesi confessiones audiat*, *solvat*, *aut liget*, *nisi necessitatis inevitabilis articulus hoc exposcat*. Inevitabilis necessitatis articulus duntaxat excipitur, quo presbyteros absque episcopi institutione aut delegatio-

ne pœnitentiæ sacramentum conferre posse dicitur; prohibiti ergo erant presbyteri, ne solverent, aut ligarent, etiamsi parochorum licentiam obtinuissent.

Hæc, quæ de canonis Lateranensis interpretatione tradidi, facile aptari possunt cæteris canonibus, qui ad illius normam in provincialibus vel diœcesanis synodis conditi sunt; quippe quibus ut plurimum non nisi ea, quæ in Lateranensi concilio decreta sunt, confirmantur, & executioni mandantur. Si qui vero habentur canones, in quibus absque ulla æquivocatione aperte decernitur parochos potuisse licentiam facere propriis parochianis, ut cuicunque presbytero etiam non approbato ab episcopo confiterentur, quem morem alicubi obtinuisse non inficiamur, tunc ex sola episcoporum concessione id licuisse parochis credendum est. Si enim canones hoc parochis indulgent, cum ii ab ipsismet episcopis constituti sint, planum est, ex episcoporum indulgentia potuisse parochos proprios parochianos cuicunque presbytero demandare, ut reconciliarentur. Hinc quemadmodum si quis ab episcopi generali vicario ad confessiones audiendas approbatur, & delegatur, auctoritatem habuisse

ab episcopo nemo abnuet: ita presbyteros, quibus parochi proprios parochianos absolvendos committebant, ab ipsis episcopis, qui conciliorum decretis potestatem delegandi fecerunt parochis, dicendum est auctoritatem accepisse; cum nihil referat, sive immediate ab episcopis, sive mediate per parochos, episcopalis auctoritas in presbyteros transfundatur.

Quod si quis contendat quosdam canones peculiarium provinciarum supponere in parochis, potiusquam elargiri hanc delegandi auctoritatem; respondemus id fieri eo, quod ex tacito episcoporum consensu alicubi id invaluerit: ea ferme ratione, qua modo jam passim invaluit, ut pœnitentes apud alienos sacerdotes indiscriminatim peccata confiteantur, & annuæ confessionis præcepto satisfaciant, quin ulla indigeant propriorum parochorum licentia. Huic aliæ similes consuetudines contra veterum canonum sanctiones & præsulum auctoritatem invectæ sunt in ecclesiam, quæ ideo tanquam legitimæ habentur, quod tacita episcoporum assensione approbatæ sunt. Equidem hoc eodem sæculo 13. exempla collatæ jurisdictionis ex tacita antistitum approbatione nobis suppeditat Guil-

lelmus Redonensis s. Raymundo coævus in notis (1) ad citatum ejusdem s. Raymundi titulum, quarum una quærit: *Nunquid sacerdos absolvere potest vicinum sacerdotem a majori (2) sine licentia superioris? Respondeo: credo (3), quod non potest sine licentia superioris generali vel speciali, tacita vel expressa. Tacita dico, quia si episcopus scit talia communiter fieri a sacerdotibus, & non reclamat, sed sustinet, quod sic fiat, eo ipso præsumendum est ipsum tacite approbare hujusmodi absolutiones, & licentiam dare hujusmodi sacerdotibus de se invicem absolvendis*. Et hoc idem factum esse in re, de qua agimus, ut nempe parochi cuilibet presbytero etiam non approbato ab episcopo facultatem facere possent confessiones audiendi

(1) Guillelmo Redonensi, non autem Joanni de Friburgo asserendas esse glossas summæ s. Raymundi additas luculenter demonstrat p. Laget in præfatione ad Raymundi editionem, & p. Echart tom. 1. scriptorum ordinis Prædicat. p. 130. ac p. 526.

(2) Vetus ms. codex membraneus summæ s. Raymundi, facile sæculo 13. exaratus, quem mihi comiter præbuit vir humanioribus litteris illustris Sebastianus Muletti, pro *majori* habet *mortali*, quod etiam magis congruit contextui.

(3) *Credo* deest in citat. codice.

suorum parochianorum ex sola tacita episcoporum assensione, testatur idem Guillelmus citato loco, ubi hæc habet: *Sed quid de sacerdotibus parochialibus, qui capellanos, quibus nulla cura commissa est ab episcopo, aut monachos, aut alios regulares vocant ad audiendam confessionem parochianorum suorum, maxime in quadragesima, quando non sufficiunt ad audiendam multitudinem? Respondeo, ubi est talis consuetudo, quod episcopi sciunt, & non reprobant, propter quod approbare eam videntur, possunt taliter vocati audire confessiones hujusmodi, quia consuetudo dat jurisdictionem quandoque ei, qui alias eam non habet*. Revera si ad antiquiora ecclesiæ sæcula oculos convertamus, videbimus nihil aggredi licuisse presbyteris citra episcoporum sententiam, cominus pœnitentiæ sacramentum administrare, ut in prima dissertatione capite primo ostendimus. Sequiori autem ævo, tametsi undique constituti ab episcopis haberentur presbyteri, omnes tamen (si archipresbyteros demas) non nisi de explicito episcopi consensu pœnitentes reconciliare Deo poterant. Id in prima dissertatione capite 7. custoditum adhuc & observatum vidimus

vel nono ecclesiæ sæculo, quo capitularibus reg. Francor. l. 6. c. 206., & Herardi Turonensis episcopi c. 59., & concilii Ticinensis can. 6. cautum fuit, ne presbyteri absque peculiari episcoporum permissione a peccatis absolverent. Quod argumento est posterioribus duntaxat sæculis, & quidem ex sola episcoporum indulgentia, invaluisse morem, ut parochi propriorum parochianorum reconciliationem aliis demandarent presbyteris.

Rem hanc plane illustrat laudatus Ticinensis canon, qui de iis loquens, quibus peccatorum confessio facienda est, hæc statuit: *Qui occulte deliquerunt, illis confiteantur, quos episcopi & plebium archipresbyteri idoneos ad secretiora vulnera mentium medicos elegerint*. Sane, si qui erant parochi sæculo ecclesiæ nono, quo habitum fuit Ticinense concilium, inter eos certe archipresbyteri adnumerandi sunt, utpote qui etiam maxima pollebant auctoritate in ecclesia; at nihilominus archipresbyteros non nisi de consensu etiam episcopi sacerdotes præficere fidelium confessionibus quivisse ex hoc canone apertissime liquet. Quid igitur dicendum de parochis? Saltem si tunc temporis alii paro-

chi habebantur in ecclesia occidentali præter eos, qui alicubi archipresbyteri vocabantur. Non ignoramus enim, quod non semel adnotavit clarissim. Marius Lupus in suo celeberrimo Codice Diplomatico civitatis & ecclesiæ Bergomatis, quodque peculiaribus dissertationibus, quæ eruditorum adhuc expectationem ægre morantur, demonstraturum promisit, nullas videlicet in episcopalibus occidentis civitatibus, Roma dempta, urbanas exstitisse parochiales ecclesias usque ad annum 1000., quemadmodum neque in pagis, si eas, quæ baptismales aut plebes nuncupabantur, excipias.

Cæterum parochis ex divina institutione non competere auctoritatem alios presbyteros delegandi, eisque necessariam jurisdictionem attribuendi, ut valide possint a peccatis absolvere parochianos, sed id solum ex explicito vel tacito episcoporum consensu, ea inprimis confirmant, quæ supra docuimus de ligandi atque solvendi potestate immediate tradita a Christo Domino solis apostolis eorumque successoribus, omnibus scilicet episcopis, non autem presbyteris vel parochis. Si enim parochi ab episcopis jurisdictionem acci-

piunt, ut supra ostendimus, quomodonam aliis presbyteris præsulum injussu eam elargiri poterunt?

Præterquamquod nonne summa episcoporum auctoritas supra omnes Christi fideles, nec non omnes suæ diœcesis presbyteros hoc idem omnino confirmat? Hanc enim & plenissimam esse & ad instar principatus divinitus ipsis collatam fuisse nos docent sæpe sæpius patres; inter quos pluries s. Ignatius martyr, cujus nonnulla testimonia jam supra retulimus, cui addi potest Origenes, qui in commentariis in Matthæum hæc habet: *Eodem modo princeps ecclesiæ* (scilicet episcopus) *uniuscujusque civitatis cum summo eorum, qui in civitate sunt magistratus, conferendus est*. Similia tradit etiam homil. 2. in Jerem.: *Plus a me* (scilicet presbytero) *exigitur, quam a diacono, plus a diacono, quam a laico: ab eo autem, qui in nos omnes ecclesiasticum ipsum principatum sibi commissum habet, plus adhuc exigitur*. Auctor constitutionum apostolicarum pluries idipsum docet. Inter alias l. 2. c. 26.: *Qui episcopus est . . . hic princeps & dux vester, hic vester rex & dynastes, hic vobis post Deum terrenus Deus*.

Itaque quemadmodum judices acceptam potestatem in alios transmittere sine principis voluntate nequeunt; ita nec parochos sine episcoporum licentia acceptam jurisdictionem aliis concedere posse planum est. Hinc s. Cyprianus, ut cæteros patres omittam, in epistola ad lapsos, qui ei de usurpata pace per Paulum martyrem data scripserant, luculentissime asserit a Christo constitutum esse, ut omnia in ecclesia ex episcoporum auctoritate penderent, atque administrarentur, hæc quippe habet: *Dominus noster, cujus præcepta & monita observare debemus, episcopi honorem & ecclesiæ suæ rationem disponens in evangelio loquitur, & dicit Petro:* Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & super istam Petram &c., *Inde per temporum & successionum vices episcoporum ordinatio & ecclesiæ ratio decurrit, ut ecclesia super episcopos constituatur, & omnis actus ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. Cum hoc divina lege fundatum sit, miror &c.* Certe si presbyteris ex sola parochorum licentia confessiones excipere, & pœnitentes absolvere liceret, a parochis non ab episcopis ecclesiæ ministeria, inter quæ non ultimum & forsan præcipuum locum obtinet pœnitentium reconciliatio,

in presbyteros disponerentur contra *divinam legem, qua fundatum est, ut omnis nimirum actus ecclesiæ per episcopos gubernetur*.

Verum enim vero episcopis *concreditus est populus Domini, & ab iis de animabus eorum ratio reposcetur*, ut docet canon 40. apostolicus. Ergo nonnisi de eorum consensu in iis, quæ ad salutem animæ quammaxime pertinent, uti reconciliatio, aliis concredi potest. Episcopus est *principalis operans*, inquit s. Thomas in opusculo contra impugnantes religionem, & parochus, qui ejus adjutor est, est *agens secundarius. Presbyteri igitur* (idest parochi), *dum absolvunt sibi subditos, hoc per eos episcopi facere dicuntur*; *unde Dionysius* (apud eundem s. Thomam) *dicit in cap. 6. ecclesiast. hierarchiæ: Is, qui secundum nos summus est sacerdos per suos ministros aut sacerdotes purgans & illuminans, ipse dicitur purgare aut illuminare, aliis in ipsum reponentibus proprias suas actiones*. Quomodonam vero *secundarius operans*, imo ille, per quem operatur ipsemet episcopus, citra ejus consensum poterit per alios operari?

Quare Tridentinum, ut episcoporum jura servarentur, veteri ecclesiæ disciplinæ inhærens hæc decrevit sess. 23. c. 15.: *Quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant: decernit tamen sancta synodus, nullum, etiam regularem, posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur; & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; privilegiis & consuetudine quacunque etiam immemorabili non obstantibus.*

Scio nonnullos recentiores contendere decretum hoc non ademisse parochis eam auctoritatem, quam antea habebant, delegandi scilicet curam sacerdotibus administrandi pœnitentiæ sacramentum propriis parochianis, iisque tradendi necessariam jurisdictionem, ut valide a peccatis absolvant, sed tantummodo prohibere sacerdotes, quominus absque approbatione episcopi confessiones excipiant. Ex quo colligunt illicitam quidem futuram esse eam absolutionem, quam presbyter sine approbatione episcopi, sed de parochi consensu

impertitur, non autem irritam & nullam, utpote quæ datur a sacerdote, cui parochus necessariam jurisdictionem concesserat.

Verum Tridentini decretum prohibere nequit presbyteros, quominus pœnitentiæ sacramentum administrent sine episcopi approbatione, quin etiam prohibeat parochos, ne facultatem faciant presbyteris non approbatis confessiones audiendi. Relativa enim hæc sunt, & unum sine altero esse non potest. Quis enim unquam affirmare audebit licere parochis non approbatos presbyteros præficere parochianorum confessionibus post allatum Tridentini decretum? Prohibitis autem parochis, ne presbyteros non approbatos delegent, permissio ab episcopis facta parochis committendi aliis pœnitentiæ administrationem remanet limitata ad solos presbyteros approbatos. Concipi enim non potest, quomodo episcopi permittant parochis, ut presbyteros non approbatos delegent, simul ac idipsum eis vetant in concilio Tridentino. Delegant ergo parochi non approbatos presbyteros sine episcoporum permissu; ergo etiam sine auctoritate, quæ, ut superius ostendimus, tota pendet, ac emanat ab episcopo-

rum permissione, proindeque nulla & irrita est delegatio, neque necessariam confert presbyteris jurisdictionem, ut valide possint a peccatis absolvere.

Hæc attigisse sufficiat, cum nostra non intersint. Nihil enim nobis in præsentiarum refert, an Tridentini decretum priores usus & canones derogaverit, ac parochis ademerit, nec ne auctoritatem demandandi jurisdictionem quibuscunque presbyteris in proprios parochianos, ut eos valide reconcilient ita, ut illicita duntaxat, non autem irrita futura esset ac nulla absolutio a presbytero non approbato data de parochi consensu, ut nobis visum est, & communiter theologi, ac synodales constitutiones Tridentino posteriores docent; quas citare supervacaneum duco, cum contrariæ sententiæ patronis ignotæ non sint, sed ab iis parvifactæ; dummodo concedant, quod supra demonstravimus, & adhuc confirmare intendimus, sine episcopi nimirum institutione, vel delegatione immediata, vel mediata, sive per parochos, sive per quoscunque alios, valide non posse sacerdotes a peccatis absolvere, propositum nostrum assecuti sumus.

CAPUT V.

Tridentini concilii ſententia a Littæ cavillationibus vindicatur.

Incredibile prorsus ac mirum est, quot sophismata & cavillationes commentus sit Litta, ut definitivam hac de re Tridentini sententiam perverteret; quæ tamen non omnia refellere mihi in animo est, ne nimio tædio lectores afficiam, præsertim cum adeo plane & manifeste concilium loquatur, ut vel ex ipsa verborum lectione quisque cognoscere possit, ipsum media luce cæcutire, dum ejus sententiam infirmare conatur. Itaque allatis Tridentini testimoniis, ea duntaxat recensebo, quæ aliquam veri similitudinem præseferunt.

Hæc igitur primo tradit sess. 14. cap. 7.: *Quoniam igitur natura & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos duntaxat feratur; perſuaſum ſemper in eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe ſynodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam ſacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem.*

Paucis se expedit Litta ab hac Tridentini doctrina: *Ecco un principio (* ait. §. 20. *) generalissimo sulla natura de' giudicj di qualunque sorta, principio, che è applicabile all' assoluzione non per altro, se non perchè è deciso esser questa un atto giudiciale (* sess. 14. can. 9. *)*.

Quid sibi velit Litta, dum inquit principium hoc, *è applicabile all' assoluzione non per altro, se non perchè è deciso esser questa un atto giudiciale*, quod alias etiam repetit, & inculcat, fateor me nondum assecutum esse; vel enim ad instar actus judicialis instituta fuit absolutio a Christo Domino, vel secus. Si primum; ergo etiam absque Tridentini definitione principium hoc aptari poterat absolutioni, utpote quod cuicunque actui judiciali conveniat. Si secundum; ergo a vero deflectit Tridentinum, dum anathemate plectit eos, qui absolutionem esse actum judicialem inficiantur; ideoque etiam data Tridentini definitione principium hoc nequit aptari absolutioni; cum definitio Tridentini non possit constituere absolutionem actum judicialem, si antea non erat.

Sed quidquid sit de horum verborum sensu, interim animadverto ad instar

actus judicialis sacramentalem absolutionem a Christo Domino institutam fuisse, illamque *nullius momenti esse*, *quam sacerdos in eum profert*, *in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem*; quo plane declaratur nihil facere presbyterum, qui casibus reservatis irretitum reconciliare attentat, cum revera careat jurisdictione, ut supra docuimus cum d. Thoma.

Litta id confidenter negat, qui cum eam jurisdictionem ad validam absolutionem satis esse affirmet, quam pœnitens attribuit presbytero, dum se exhibet reconciliandum: perspicuum est in ejus opinione semper haberi jurisdictionem, dummodo pœnitens reconciliationem a presbytero postulet; proindeque semper validam esse absolutionem, licet impertitam reo cujuscunque criminis reservati. Non dissimulandum tamen casum assignare vel ipsummet Littam, in quo irrita & nulla sit absolutio ex defectu jurisdictionis, qui sane cum memoria dignus sit, modo exscribam. Hæc igitur habet § 113.: *Però anche nella mia opinione avvi il caso di nullità d' assoluzione per diffetto di giurisdizione. Supponghasi, che un peccatore scosso dalla divina grazia vada prorompendo in ferven-*

ti atti di contrizione, anche pronunciando i suoi peccati in atto di chiederne a Dio perdono. Un sacerdote senza esser dal peccatore scoperto sente i di lui peccati, e conosce le evidenti prove del suo dolore. Improvvisamente si manifesta, e lo assolve. Sarebbe valida una simile assoluzione? No certo.

An vero de necessitate hujus generis jurisdictionis, quam Litta commentus est, Tridentinum loquatur, atque hunc casum ab ipso excogitatum concilium respexerit, cum docuit nullius esse momenti absolutionem sine jurisdictione impertitam, vel potius de ea jurisdictione, quam Christus in suas oves habet, quamque ipse Petro & apostolis elargitus est, & in eorum successoribus perseverat, summis scilicet pontificibus & episcopis, & quam hi presbyteris attribuunt, dum ipsis parochiale conferunt beneficium, vel ad audiendas confessiones approbantur, jam per se patet. Certe cum nondum innotuisset fictitia Littæ jurisdictio, neque peculiari decreto ejus necessitas a Tridentino vindicari poterat. Deinde Tridentinum verba facit de ea jurisdictione, quam necessariam esse ad validam absolutionem *semper persuasum in*

ecclesia Dei fuit ; ecclesia autem cum continuo tradiderit necessariam esse ad validam absolutionem illam jurisdictionem , quam summi ecclesiæ sacerdotes in fideles sibi concreditos habent, atque presbyteris impertiuntur, ut supra demonstravimus, manifestum est de hac eadem jurisdictione ejusque necessitate accipiendum esse.

Non me fugit suæ opinionis fundamentum; ut enim ostendat pœnitentem ipsum dare presbytero sufficientem jurisdictionem, asserit sacramentalem absolutionem esse arbitrale judicium, & quando Christus dixit, *quorum remiseritis peccata &c.*, sacerdotes elegisse suos compromissarios, ideoque eis elargitum esse illam potestatem tradit, qua ut ejus arbitri offensas sibi ab hominibus illatas condonare possent: fideles vero in sacerdotes compromittere, eisque fidem propriam obligare, & jurisdictionem conferre affirmat, cum eis se offerunt reconciliandos. Hinc quemadmodum arbiter, qui ex compromisso ab utraque litigantium parte eligitur vel ad litem componendam, vel ad decernendam satisfactionem pro injuriis illatis, potestatem decidendi ab ipsis litigantibus accipit: ita presbyterum a Deo & ab ipso-

met pœnitente omnem potestatem accipere autumat, quin ulla alia indigeat jurisdictione ad pœnitentem Deo valide reconciliandum.

Sed quid illi prodest hocce commentum? Nonne Tridentinum perpetuæ ecclesiæ traditioni inhærens docet *nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem?* Nonne Tridentinum vocibus *jurisdictionis ordinariæ vel subdelegatæ* intelligit eam jurisdictionem, quæ ab ecclesiæ prælatis in alios transmittitur, nunquam autem illam, quam presbytero tribuere pœnitentem ipse confixit, utpote quæ nec ordinaria nec subdelegata dici potest, quæque non solum Tridentino, sed ecclesiæ patribus & conciliis prorsus ignota est?

Præterquamquod quid magis indecorum Deo divinæque majestati, quam Deum ipsum una cum offensore pro illatis injuriis in arbitrum compromittere, judiciumque subire? Quid magis patribus & conciliis inauditum, quam sacerdotum potestatem in sacramenti pœnitentiæ administratione compromissariam esse, & a peccatorum nutu & arbitrio proficisci? Quid

magis consonum impiorum hominum licentiæ, criminum impunitati, vel christianæ pœnitentiæ necessitati dissonum, quam demere sacerdotibus officium judicis in administratione sacramenti pœnitentiæ, ut ii arbitri reconciliationis constituantur? Et ne gratis videar asseruisse id consequi ex hac opinione, audiatur vel ipsemet Litta, qui art. 65. sic ait: *Così trattandosi di compromesso . . . sempre meglio si comprende non esser per tutto ciò indecente, che un' operazion divina, qual' è l' assoluzion de' peccati, debba tutta regolarsi coll' umano giudicio, ed anche col giudicio vario secondo la naturale varietà delle teste sacerdotali*; & art. sequenti, quem fere integrum exscribam, ut de ejus sententia sit apud lectores judicium, hæc tradit: *Anzi se il sacerdote non fosse compromissario di Dio offeso, ma fosse suddelegato, si dovrebbe regolare con principj ben diversi: difficilmente potrebbe sapere e conoscere, quali essi dovrebbero essere, ed ogni dubbio su di ciò apporterebbe dubbio sulla validità di sua assoluzione, come avviene nelle autorità suddelegate e oscure. Che per lo contrario essendo compromissario, e non semplice delegato, le massime son fa-*

cili e chiare. Non è più l' uomo, (N. B.) che debbasi addattare al metodo d' un divino giudicio, è anzi Dio, che si addatta al giudicio umano per sua infinita misericordia. Così intendesi come possa l' uomo, e debba nell' assoluzione e penitenza regolarsi tutto coll' umana ragione.

Sola igitur humana ratione duce, exclusa prorsus divina voluntate vel in scripturis manifestata, vel a patribus & conciliis tradita pœnitentiæ imponendæ (1) absolutionesque impertiendæ erunt? Et quidem, ratione inspecta, *secondo la naturale varietà delle teste sacerdotali*, quod idem est ac obscurata & circumfusa tenebris ignorantiæ & concupiscentiæ, ex quibus opinionum varietas ac dissentio hisce in rebus originem trahunt? Hæc igitur unice, hæc tuto a sacerdotibus attendenda in restituenda salute, reconciliandisque Deo

(1) Licet pœnæ in administratione sacramenti pœnitentiæ assignandæ modum suum ex sola ecclesiæ institutione repetant; tamen ex divina institutioue eatenus pendent, quatenus sacramentum pœnitentiæ Deus instituit, ut non gratis in eo crimina condonentur, sed multis laboribus & congruis afflictationibus expientur; ut habet quidam celeberrimus scriptor. Hinc tametsi pro varietate temporum varia fuerit ex-

pœnitentibus? Incassum ergo tot leges sanxit ecclesia, ne indignis sacramentum hoc administraretur. Incassum tot curæ & sollicitudines in tentandis peccatorum conversionibus, & ad canonum præscriptum exigendis anxerunt patres. Quis unquam s. Gregorium Magnum (1) impulit, ut doceret, *tunc vera est absolutio præsidentis, cum æterni arbitrium sequitur judicis?* Quare adeo temere Gregorii sententiam amplexi sunt, imo quasi eadem verba transcripserunt, quotquot fere eum secuti sunt patres, Eligius scilicet (2), Beda (3), concilium Aquisgranense (4), Haymus Halberstatensis episcopus (5), s. Anselmus

terior ecclesiæ disciplina, ut modo graviores modo remissiores pœnæ peccatis infligantur: de iis tamen sacerdotes pro voluntate statuere nunquam potuerunt, sed cum canonicæ pœnitentiæ vigebant, in iis decernendis se accomodare tenebantur pœnitentialibus regulis, modo saltem tenentur fixam plane atque immutabilem voluntatem Dei prosequi, quæ pœnitentiam laboriosum voluit esse baptismum, ut pro modo criminum congruæ pœnitentiæ imponantur.

(1) Homil. 26. in evangelia.

(2) Homilia 11.

(3) Libello, qui inscribitur *scintilla* c. 74., & comment in cap. 11. Joan.

(4) Ann. 816. c. 37.

(5) Homil. in octav. Paschæ, & homil. in festo ss. Petri & Pauli.

(1)? Nonne Deus ad hominum arbitrium accomodari se debet? Fœdissime igitur prolapsi sunt, dum e contra presbyterum æterni judicis arbitrium sequi debere decernunt.

Hæc, ut quisque novit, aliaque urgeri possent ad demonstrandum ministrum sacramenti pœnitentiæ non esse arbitrum a Deo & pœnitente electum, sed verum & proprie dictum judicem & Christi vicarium ab eo constitutum, ut pœnas decernat, & absolutiones impertiatur secundum divinum propositum nobis in scripturis declaratum, & ab ecclesia nobis traditum; at quoniam in notissimis versamur, ideo, cæteris omnibus omissis, hoc idem solo Tridentini testimonio plane confirmabimus. Hæc igitur concilium Trident. sess. 14. cap. 5.: *Dominus noster Jesus Christus e terris ascensurus ad cœlos sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præsides & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles cecide-*

(1) in Matth. 16., quibus addi possunt Hugo de s. Victore in summa l. 1. de sacram. c. 26., & Richardus ejus collega libr. de potestate ligandi c. 17.

rint: qui pro poteſtate clavium remiſſionis aut retentionis peccatorum ſententiam pronuncient.

Hoc itaque expuncto commento, & simul necessitate jurisdictionis transmissæ confirmata, ut quis valide a peccatis absolvat, jam quisque videt nullius momenti esse debere absolutionem datam a presbytero ei, qui in crimen incidit reservatum, utpote datam sine jurisdictione. Presbyteri enim in ordinatione jurisdictionem non accipiunt, aliter frustra Tridentinum jurisdictionem exposceret pro valida absolutione, cum eam semper presbyteri haberent. A pœnitentibus sane ipsis non confertur, ut supra vidimus. Remanet ergo, ut ab episcopis habeant. Ab episcopis habent jurisdictionem, vel cum provehuntur ad regimen parochialium ecclesiarum, vel ad confessiones audiendas approbantur. Sed in utroque casu semper casuum reservatione limitata ac circumscripta tribuitur; continuo enim prohibentur, ne a reservatis absolvant. Ergo jurisdictionem non habent presbyteri, dum irretitum casibus reservatis reconciliare attentant.

Quod, ut clarius pateat, animadvertendum est jurisdictionem idem esse ac

dictionem juris, seu actum ipsum jurisdicendi; potestas autem jurisdictionis nihil aliud esse potest, quam potestas jurisdicendi in subditum. Considerata vero in sacramento pœnitentiæ est auctoritas quædam in alterum tanquam in subditum, per quam sacerdos velut judex in eum sententiam rite ferre valeat, vel ejus peccata remittendo, vel retinendo, ut supra etiam diximus. Vide clar. Merbesium in ejus summa christiana de pœni. dissert. 4. q. 30. aliosque passim theologos. Presbyteri in ordinatione recipiunt quidem eam potestatem, quæ *ordinis* dicitur, qua coadjutores episcopi constituuntur, & idonei habilesque fiunt, ut ipsis demandari possit ab episcopis hujus sacramenti administratio, quæque est *radicalis & inchoata*, ut ajunt theologi, potestas ligandi atque solvendi. Sed hæc est inepta ad validam absolutionem impertiendam, nisi jurisdictione perficiatur, ut ex Tridentino ostendimus. Perficitur autem cum episcopi attribuunt presbyteris jurisdictionem, seu ipsis concedunt, ut reapse a peccatis absolvant. Quomodonam autem dici potest, quod episcopi concedant presbyteris, ut reapse a reservatis absolvant, si reapse,

ne a reservatis absolvant, ipsos vetant? Episcopi dando presbyteris jurisdictionem assignant subditos, quos absolvere debent. Quomodonam criminibus reservatis irretitos tanquam subditos, quos absolvere debeant, assignasse dicendum erit, si ab ipsismet episcopis prohibentur, ne eos absolvant? Hæc sane contradictione implicantur.

Præterea id ipsum liquet ex eodem citato Tridentini capite. Postquam enim tradidisset nullius esse momenti absolutionem, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem, hæc subdit: *Magnopere vero ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis patribus nostris visum est, ut atrociora quædam & graviora crimina non a quibusvis, sed a summis duntaxat sacerdotibus absolverentur: unde merito pontifices maximi pro suprema potestate sibi in ecclesia universa tradita causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quæ a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem episcopis omnibus in sua cuique diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem, liceat pro illis in subditos tradita supra*

reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, præsertim quo ad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Cur quæso Concilium Tridentinum iis, quæ de pontificis maximi ac episcoporum potestate in criminum reservatione docet, illud præmittit tanquam principium exploratum, nullius scilicet esse momenti absolutionem sine jurisdictione impertitam? nisi quod intelligeret, nullam habere presbyterum jurisdictionem, quo ad absolutionem ab his peccatis, in eum, qui in crimen incidit reservatum. Aliter in hoc Tridentini capite nulla esset connexio doctrinæ. Quid enim ad casuum reservationem, quæ est hujus capitis argumentum, quod etiam *de casuum reservatione* inscribitur, pertinet doctrina de necessitate jurisdictionis, ut quis valide absolvat? nisi jurisdictione carere presbyterum, qui casibus reservatis implicatum reconciliat, persuasum esset concilio, proindeque nullius esse momenti datam absolutionem sine jurisdictione decernit, ut vis reservationis innotesceret.

Sed hoc apertius etiam constat ex aliis verbis, quæ sequuntur. Inquit enim in eodem capite: *Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pe-*

reat, in eadem ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt: extra quem articulum sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores & legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant. Nihil igitur possunt sacerdotes in casibus reservatis. Sane omnia possent, si valide absolverent.

Sed hoc idem apertissime confirmatur can. 11. sess. 14. ejusdem concilii, quo controversiam hanc diremtam esse docuerunt, quotquot ferme hac de re disseruere, cujus en verba: *Si quis dixerit episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit*.

Quis non agnoscit in hoc Tridentini canone omnino eversam Littæ opinionem? Id agnovit, & fassus est vel ipse in secunda editione operis inscripti *Del Diritto di stabilire impedimenti dirimenti il matrimonio* littera 13., licet postea in sæpe ci-

tata epistola de sacramentali absolutione a casibus reservatis in primum errorem relapsus sit, eumque pro viribus tueri satagat.

Integram tamen Tridentini sententiam in supracitata secunda editione interpretatus non est Litta, cum eam solummodo nullius momenti esse absolutionem dixerit, quæ a simplici presbytero, non autem quæ a parocho de reservatis attentata fuerit. Hanc distinctionem affert, ac tuetur etiam in epistola de sacramentali absolutione, ubi art. 47. contendit Tridentini canonem explicandum esse de solis simplicibus presbyteris. En ipsius verba & rationum momenta, quibus hanc interpretationem defendit: *Io voglio supporre per ora, siccome ho voluto fare nell' opera, che voi confutate* (1) (scilicet supracitata de jure

(1) Hoc verbo *supporre* videtur negare, quod aperte non docuerit in secunda editione simplices presbyteros nihil facere, dum a reservatis absolvunt; & in hoc sensu non accepisse Tridentinum, quod falsum esse existimo. Hæc enim habet: *Con ciò il concilio di Trento persuade bensì, che la riserva de' casi produr possa una nullità di assoluzione ec.*, & paulo post: *Che se una riserva dovrà esser tale, onde sia proibito, che il sacerdote vere absolvat, e tale onde dir possa*

constituendi impedimenta &c.) *che in questo testo si parli di validità di assoluzione. In progresso di questa lettera vi dimostrerò poi, che si parla di tutt'altro. Dato dunque, che il canone decida il diritto de' vescovi di riservare i casi sino alla nullità di assoluzione, io ho detto, che* sacerdos *non vuol dir paroco, e che in conseguenza de' parochi non si dicon nulle le assoluzioni nel caso di riserva. Pare a primo aspetto, che una tale interpretazione sia alquanto stentata, ma voi sapete meglio di me la regola in genere di cose odiose, come sono le riserve, vale a dire, che sono da interpretarsi nel senso più stretto in favor della libertà. Ora la prima massima, che ne viene di conseguenza, è, che non debbansi intendere inchiusi nella riserva se non quelli, che espressamente sono indicati. Ma colla parola* sacerdos

de' sacerdoti, che nihil possint in casibus reservatis, debbe esser una riserva di giurisdizione, non mai dell' indelebile podestà sacerdotale. Tandem concludit : *Determinato pertanto dal complesso di tante ragioni, non voglio dissimulare di esser di parere, che la riserva de' casi, che fa il vescovo per rapporto a semplici sacerdoti di giurisdizione suddelegata sia annullante l' assoluzione, e che per riguardo a parochi di giurisdizione ordinaria non sia, che obbligante la coscienza a non assolvere, ma non invalidante l' assoluzione istessa.*

non sono espressamente indicati i parochi &c. Ex quo concludit : *non solo ciascuno è in diritto d' interpretarlo così* (canonem scilicet Tridentinum), *ma è in preciso dovere d' interpretarlo così seguendo la regola* (juris in sex. reg. 57.) *contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda*.

Tanta est veritatis species in hoc articulo, ut nil accomodatius ad decipiendum videatur. Primo tamen monet de fallacia argumenti allata regula juris, quæ nihil ad rem est. Docent enim canonistæ (1) nomine *legis* hic venire *legem privatam*, seu conventionem contrahentium, quæ in præjudicium contrahentis intelligi solet, nunquam autem leges ecclesiæ, vel principum, in quibus vel nihil ambiguum & obscurum, vel a legislatore explicandum.

Equidem nihil esse obscurum aut ambiguum in hoc canone vel ipsamet canonistarum & theologorum concors & perpetua sententia nos certiores facit, qui

(1) Vide glossam in hanc regulam, & institutiones canonicas Remigii Maschat l. 5. tit. 41., aliosque.

etiam parochos nomine sacerdotis comprehensos esse in hoc canone, eorumque absolutiones a reservatis nullas & irritas esse extra omnem dubitationis aleam positum esse tradiderunt. Fieri enim non potest, quod ambiguitas & obscuritas hujus canonis tot canonistas fugerit, atque theologos, iique pro lege steterint, dum eorum plures non solum pro detegendis, sed etiam confingendis dubiis, & obscurandis vel clarioribus sanctionibus, ut libertati indulgerent, quanto pollerent ingenio, neminem latet.

Sed neque Litta ambiguum & obscurum existimavit hunc canonem, saltem circa rem, de qua agimus; sed eo consilio duntaxat attulit regulam juris, qua decernitur *contra eum faciendam esse interpretationem, qui legem dicere potuit apertius*, ut vocem *sacerdos* exponeret impropria interpretatione, seu, ut ipse ait *alquanto stentata*. Hujus tamen impropriæ interpretationis rationem reddit; & primo docet vocem *sacerdos* non significare parochum: *non vuol dir paroco*, ex quo concludit absolutiones a parochis datas a reservatis nullas non fuisse a Tridentino pronunciatas. Sed hæc vox *sacerdos* neque significat

canonicum, neque vicarium parochi, neque regularem. Ergo neque absolutiones a reservatis attentatas a canonicis, parochorum vicariis, vel regularibus irritas esse asseruit Tridentinum. Eadem enim ratio est. Siquidem etiam ante concilium Tridentinum canonici, parochorum vicarii, & regulares satis distinguebantur a cæteris sacerdotibus, iique peculiari nomine *canonicorum*, *regularium*, & *vicariorum* appellabantur, & his nominibus sæpe nuncupatos reperies ab ipso Tridentino concilio.

Deinde, ni fallor, hæc vox *sacerdos* neque significat presbyterum beneficiarium, qui utique distinguebatur a presbytero non beneficiario etiam ante Tridentinum. Ergo neque presbyteros beneficiarios Tridentinum complectitur definiendo nullas esse de reservatis absolutiones a sacerdote impertitas. Verum neque presbyterum non beneficiarium, seu titulo patrimonii, vel pensionis ad sacros ordines admissum significat hæc vox *sacerdos*. Quis enim hac voce hos presbyteros expresse indicatos affirmabit. Quod si non expresse indicati sunt, neque comprehensos esse ab allato canone dicendum erit secundum traditam a Litta doctrinam: *che non debbansi intendere in-*

chiusi nella riserva se non quelli, che espressamente sono indicati. Et ita Tridentinum, dum omnes sacerdotes includere voluit, neminem comprehendit.

Id sane ex ejus principio necessario deducitur. Neque hoc absurdum evitatur eo, quod addit, scilicet canonem hunc odiosis legibus (1) accensendum esse, utpote de reservationibus latum, quæ inter odiosa adnumerantur, & restricta interpretatione exponendæ sunt. Eadem enim semper est ratio, cum reservationes non solum parochis, sed etiam cæteris sacerdotibus odiosæ sint, si ita loqui fas est; & pari ratione interpretentur theologi reservationes tam relative ad parochos, quam relative ad cæteros sacerdotes ita, ut nunquam legere mihi acciderit in reservationum expositionibus de aliquo crimine prohibitos esse duntaxat simplices presbyteros, ne absolverent, non autem parochos,

(1) Nonnulli divisionem legum in favorabiles & odiosas prorsus rejiciunt: vide *les Remarques de Barbeyrac sur Grotius*, & *sur Pufendorf*: nos tamen eam Littæ libenter concedimus, dummodo odiosas dicat duntaxat eo, quod versantur circa materiam odiosam. Omnes enim leges bono publico consulunt, ideoque nunquam odiosæ vere & proprie dici possunt.

nisi expresse excipiantur. Hinc fit, ut si *sacerdos* non significat parochum in canone Tridentini, neque significet canonicum, regularem, vicarium, beneficiarium &c.

Cæterum neminem latet verbo *sacerdos* etiam in legibus odiosis indicari cujuscunque ordinis presbyteros; notissima enim est communis legis peritorum sententia, quod scilicet leges circa res odiosas, licet stricte sint exponendæ, semper tamen intacta verborum proprietate accipiendæ sunt. Verbum autem *sacerdos* cujuscunque ordinis presbyteris proprie convenit, eoque significantur; ideoque etiam parochi, aliter neminem exprimit, ut supra vidimus, & tunc peccabitur in regulam juris 88.: *Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem*. Et quoniam de parochis modo disputamus, quis inficiabitur parochos comprehensos esse in tot ecclesiasticis sanctionibus, in quibus, vel censuris aliisque pœnis constitutis, agitur de vita & honestate clericorum, de sacris ritibus in sacramentorum administratione, vel celebratione divinorum officiorum, alisque hujusmodi, licet generatim in sacerdotes latæ sint, nec expresse parochi no-

minentur? Sic ex. gr. in synodo Bergom. sub episcopo Emo celebrata decr. 12. hæc habentur: *Quotiescunque saccrdotes ad celebrandum accesserint, vestem talarem deferant sub pœna &c.* Quis affirmabit parochos non includi? Sex suspensiones in tabula casuum reservatorum episcopatus Brixiæ habentur, quæ simpliciter in sacerdotes inflictæ dicuntur, ex. gr. tertia hæc est: *In sacerdotes, qui etiam si sint larvati, intersunt publicis choreis &c.*, & tamen clarissimus p. Maccarinelli sacerdotes omnes sæculares, cujusvis gradus & dignitatis sint, eam incurrere tradit, *cum omnes æque sacerdotum nomine significentur*. Sane si quæ sunt leges odiosæ ac coarctandæ, eæ sunt, in quibus pœnæ indicuntur, & præsertim ecclesiasticæ censuræ. Si igitur hæc vox *sacerdos* etiam in pœnalibus legibus parochos includit, quare Tridentini canone eosdem non comprehendi dicendum erit?

Deinde concessimus Littæ canonem allatum in earum legum numerum referri posse, quæ de materia odiosa tractant, (quia nobis parum interest, cum, hoc etiam concesso, nomine *sacerdotis* parochi veniant), ideoque posse stricta interpretatione explicari. Verum si attente canon

consideretur, id falsum esse quisque cognoscet. Siquidem tametsi casuum reservationes iis legibus adnumerari possint, quæ odiosæ dicuntur (quod tamen nonnulli inficiantur): nihilominus Tridentini canon iis accenseri non potest, utpote qui neque casuum reservatorum indiculum edit, neque ullum crimen reservat episcopis, sed tantummodo vim & efficaciam episcopalium reservationum exponit, ac docet contra hæreticos. Quanam vero ratione canon, qui ad doctrinam pertinet, in legum odiosarum numero poni possit, ego sane non video.

Denique non omittendum caput septimum supra relatum plane confirmare voce *sacerdos* parochos comprehendi, quippe nullius momenti esse absolutionem tradit, *quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem*. Quid quæso nomine *sacerdos* hoc in loco venit? Certe etiam parochi comprehenduntur, cum omnes ii sacerdotes, qui non solum subdelegatam, sed etiam ordinariam habent jurisdictionem, includantur. Vox ergo *sacerdos* etiam parochos complectitur secundum Tridentini usum. Rursus in eodem capite vindicatur

episcopis auctoritas reservandi sibi quorundam criminum absolutionem. Hanc autem reservationem non solum simplices presbyteros, sed omnes prorsus sacerdotes afficere apertissime docet illis verbis: *quin hoc idem* (idest reservationes indicere) *liceat episcopis pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate &c.* Si ergo casuum reservatio omnes episcopo inferiores sacerdotes afficit, etiam absolutiones ab iisdem omnibus de reservatis datas nullas esse decernit; præsertim cum canon prorsus respondeat, ac referatur capiti septimo ejusdem sessionis. Ex quibus omnibus manifestissime liquet etiam parochorum absolutiones de reservatis attentatas nullas & irritas a Tridentino canone pronunciatas fuisse.

Postea quam Litta tradidit parochos non includi in hoc canone, omni licet irrito conatu ostendere satagit, neque inanem & cassam assertam fuisse absolutionem a simplici presbytero de reservatis impertitam, canonem pluribus cavillationibus pervertendo. Eum persequi nec lubet, nec vacat. Quod si vacaret, & fastidita sophismata solvere vellem, Tridentinum canonem potius tenebris, quam luce per-

funderem. Itaque denuo canonem referam, cui subjiciam interpretationem Littæ, ut videant lectores, an ejus sententiam sit assecutus. Præmittam tamen erroris articulum, quem sibi proposuerat damnandum in hoc canone & cap. 7. Tridentinum, qui ita se habet apud p. Cristianopoli (1): *Absolutionis ministrum, etiamsi contra prohibitionem absolvat, vere nihilominus absolvere a culpa & coram Deo, ideo casuum reservationem non impedire absolutionem, nec episcopos habere jus eos sibi reservandi, nisi quoad externam politiam.*

Articulus iste est Lutheri in disputatione habita 1518., & Melancthonis in apologia confess. Augustanæ de confess. & satisfac.

Canon Tridentinus hunc articulum damnans decrevit: *Si quis dixerit episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quo ad externam politiam, atque ideo casuum*

(1) Ex opere inscripto *Della nullità delle assoluzioni ne' casi riservati*, quod supra laudavimus, exscripsi hunc articulum. Illum ex ditissima collectione autographarum chartarum ad concilium Tridentinum pertinentium habuisse cl. Cristianopoli testatur; verum in desiderio adhuc est, quonam in archivio existat.

reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit.

Littæ interpretatio art. 103. hæc est: *Onde il canone per intiero significa: sè alcuno dirà, che i vescovi non abbiano il diritto di riservare a se i casi, se non per quella loro parte, che risguarda le censure, e quindi la riserva de' casi non proibire, che il sacerdote assolva dalla cosa veramente riservata, che è il peccato, sia anatematizzato.*

En quo tendant fallaces ejus subtilitates, ut scilicet adverbium *vere* voci *reservatis* conjungat, non autem verbo *absolvat*, licet canon post vocem *reservatis* habeat *vere*; quasi aliquid magis significetur vocibus *reservatis vere*, quam voce *reservatis*, & alia sint crimina *reservata*, alia *reservata vere*, quod quam alienum sit a perspicua canonis sententia, nemo non videt.

Sed instat: si adverbium *vere* verbo *absolvat* conjungatur, duplicem sensum habere potest: *Quando cioè parlasi dell' assoluto, e quando parlasi dell' assolvente. Quando parlasi dell' assoluto, e che si dica esserlo* vere, *può significar* valide, *perchè non è possibile, che uno*

sia veramente assolto, se non lo è stato validamente. Si fieri nequit, ut quis *vere* sit absolutus, nisi sit etiam *valide* absolutus, adverbium *vere* non solum potest significare *valide*, sed necessario *valide* significare debet. Sed hæc liberaliter Littæ dentur. Pergit postea: *Ma quando parlasi dell' assolvente il* vere *significa tutt' altro, che validità*. Significet ergo quiquid aliud significare potest, afferat casum, quo sacerdos *vere* absolvat, quin *valide* absolvat, & tunc manus dabimus. Quoniam tempus & operam perdere est ad istas ineptias abire.

CAPUT VI.

Monumenta Tridentino posteriora, quibus nullam & irritam esse absolutionem a sacerdote datam sine episcopali institutione aut delegatione confirmatur.

Evolvit etiam Litta concilia Tridentino posteriora, quæ in collectione Labbei reperiuntur, ut ipse testatus est, & curam omnem posuit, ut ostenderet sero invaluisse sententiam ipsi contrariam. Attamen

nullum vel concilii, vel saltem alicujus auctoris testimonium adducit, quo ipsius opinio comprobetur, sed duntaxat quorundam conciliorum decreta cavillatus est, quæ aut nihil de hac quæstione habent, aut ipsi adversantur; & nonnulla omisit, quæ ejus opinionem penitus evertunt; ea tamen prætermisisse bona fide & citra omnem fraudem, ut decet nobilem & ecclesiasticum virum, credendum est. Itaque quemadmodum semper traditum in ecclesia fuit ante concilium Tridentinum nullius momenti esse absolutionem a presbytero impertitam injussu episcopi, ita continuatam post celebrationem Tridentini concilii eandem in ecclesia doctrinam, & pluries a conciliorum canonibus & pontificiis diplomatibus confirmatam fuisse, & quidem ante constitutam a Litta epocham, scilicet ante annum 1583., quo primum asserit concilium Burdigalense inanem & cassam esse absolutionem sine transmissa jurisdictione docuisse, demonstrabimus.

Et quoniam primo de s. Carolo Borromæo ejusque conciliis sermonem instituit Litta, ab eo inquisitionem exordiemur. Nonnulla verba synodi diœcesanæ secundæ a s. Carolo celebratæ anno 1568. ipse

refert. Cujus synodi, ut facilius sententiam assequamur, integrum testimonium afferendum. Decreto igitur 18. hæc habentur: *Cum ad populi christiani disciplinam & religionem conservandam, sanctissimorum patrum sententiis, & multorum conciliorum decretis, tum Tridentino concilio, perpetuoque universæ ecclesiæ usu & consuetudine illud observatum sit, ut quæ graviora essent peccata, non a quibusvis sacerdotibus, sed ab episcopis solum absolverentur: nos propterea quorundam graviorum casuum absolutionem nobis reservavimus, eosque una cum illis, quos concilio nostro provinciali nobis item reservavimus, hoc decreto infra ordine quodam descriptos explicari & promulgari voluimus; ne ii, quibus animarum cura commissa est, & alii item, ad quos ut optimos & fideles ministeriorum Dei dispensatores potestas delata est alios a peccatis absolvendi, ii per imprudentiam extra fines egrediantur permissæ sibi facultatis.*

Concilium vero provinciale primum ann. 1565., quod citat, hæc habet: *Ad eorum etiam criminum, quæ infra ordine adscribuntur, licentiam resecandam, prohibemus, ne confessores quemquam ullis iis*

criminibus alligatum absolvant, nisi facultas eis ab episcopo permissa sit.

Arripit Litta ex allato synodi diœcesanæ decreto verba illa *permissæ facultatis*, quibus, inquit, *si dà non equivocamente a vedere, che non si parla della podestà, che risguarda la validità, ma della facoltà morale, che determina il lecito e l'illecito, vale a dire ciò, che è, o non è permesso.*

At vox *facultas*, licet proprie loquendo, non nihil differat a potestate, attamen Latini frequenter illa usi sunt ad potestatem significandam. Verbum vero *permitto*, a quo *permissus* derivatur, idem quod *mitto* significare docet Lexicon totius latinitatis clarissimi Forcellini. Sed hoc in loco potius pro *concedo* adhiberi ex contextu liquet. Itaque his vocibus *permissæ facultatis* idem significari potest ac *concessæ potestatis*. In hoc sensu passim usurpari invenies a Latinis. Cicero Agrar. 2. c. 13.: *Permittere alicui potestatem infinitam innumerabilis pecuniæ*; itemque pro Cluentio hæc idem Cicero: *Ne in unumquemque nostrum censoribus in posterum potestatem regiam permittatis*. Quibus aliæ centum addi possunt similes locutiones.

Quod vero s. Carolus hoc in sensu adhibuerit has voces, patet ex ipsomet transcripto synodi decreto, quo de hac eadem auctoritate loquens, videlicet de *facultate permissa* presbyteris excipiendi confessiones, inquit: *Alii item* (simplices scilicet presbyteri), *ad quos potestas... delata est alios a peccatis absolvendi &c.* Quæ sane verba non nisi pro concessa vel tradita potestate accipi possunt. Qui autem ultra fines egreditur traditæ sibi potestatis, non solum illicite operari, sed ea, quæ facit, ut non facta habenda esse, manifestum est.

Sed s. Caroli sententiam plane illustrant ea, quæ habet in instructionibus confessorum, quas jam edidisse ann. 1574. liquet ex synodo 3. sub Federico Cornelio Bergom. episcopo habita eodem ann. c. 37.: *Deve fare*, ait s. Carolus, (confessor) *quelle interrogazioni delle confessioni passate, che sono necessarie per conoscere, se fosse incorso in alcun caso, per il quale fossero state nulle, e però si dovessero reiterare, come sarebbe, se si fosse confessato, da chi non avesse potestà di assolverlo.* His sane clariora desiderari nequeunt. Audiamus modo, quomodo Litta ab his se expediat.

Ma a dirla (art. 120.) *schiettamente, credo, che quì s. Carlo parli, di chi non è sacerdote, perchè in questa medesima pagina e in tutti gli altri testi s. Carlo non usa mai altro termine in genere o de' casi riservati, o di sacerdoti non approvati se non di facoltà permessa o di licenza, e mai quello di podestà.*

Sed, ut ingenue ego quoque loquar, credo nihil aptius hoc in loco aliisque huic proximis, de quibus postea, dicere potuisse Littam, ut omnem fidem sibi derogaret. Primo siquidem falsum est nunquam s. Carolum his de rebus tractantem vocem *potestatis* usurpasse, quoniam eam adhibuit decreto 18. synodi diœcesanæ secundæ, cujus decreti partem attulit vel ipsemet Litta, quin eam adverteret, ut supra vidimus, & in hac eadem pagina instructionum confessorum, in qua non reperiri affirmat Litta, hæc vox *potestas* habetur. (1): *Se il penitente è fuori della città, ed il caso* reservatus *è tale, che possa esser subdelegato il confessore istesso a'*

(1) Actor. eccles. Mediol. p. 4. pag. 764. edit. Bergom. an. 1738.

assolverlo... si pœnitens nequit Mediolanum se conferre, *pigli da lui licenza di scrivere, o dire il detto caso a noi o al penitenziero maggiore, per aver la podestà di assolvere*. Secundo non nisi per summam cavillationem de confessione facta laico vel clerico nondum sacerdotio initiato exponi potest monitum s. Caroli. Ideo enim iterandas esse confessiones tradit, quod pœnitens in aliquem casum inciderit, ob quem nullæ fuerint, *se fosse incorso in alcun caso, per il quale fossero state nulle ... come sarebbe se si fosse confessato, da chi non avesse podestà di assolverlo*. Qui laico confessus est, sane non eo, quod aliquem in casum inciderit, repetere debet confessiones, sed quod a laico sit reconciliatus. Hinc nemo non assentietur Natali Alexandro hanc s. Caroli instructionem ita in latinum sermonem vertenti: *Debet interrogare de actis antea confessionibus, in quantum ei necessarium fuerit, ut resciat, num in aliquem casum inciderit, ex quo, cum nullæ hæ fuerint, iterandæ sint: puta num confessus fuerit sacerdoti absolvendi potestatem non habenti* (Theol. dog. lib. 2. c. 5. art. 10. reg. 1.).

Sed ad alia pergamus. Testatur Litta nihil esse in provincialibus conciliis sub s. Carolo celebratis, quod recte ipsi opponi possit. Attamen hæc habentur in concilio 4. ann. 1576. art. *quæ pertinent ad sacramentum pœnitentiæ: Episcopus ... confessarios sacerdotes etiam regulares aliquando ad se tum singulos, tum universos convocet, iisque ... demonstret item, & quam bene notos casus ipsi habere debeant, in quibus absolvendi auctoritatem nullam habent*. Si valide sacerdotes absolverent ab hujusmodi criminibus, quomodonam concilium *nullam habere absolvendi potestatem* affirmare potuisset? Sane omnem potestatem absolvendi habet, qui valide absolvit.

Vidit tamen & Litta, ac e: scripsit, quæ de complicis absolutione decrevit s. Carolus in synodo diœcesana 11. an. 1584., in qua apertissime nullam esse decernit absolutionem a sacerdote criminis socio impertitam. Hæc enim habet in *monitis executionis decretorum, quæ ad sacramentalia & sacramenta pertinent: Confessario, qui cujuscumque criminis etiam minimi socius particepsve ullo modo fuit, munere interdictum sit confessionis eorum audiendæ, quos*

illius socios habuerit. Idem de illis item absolvendis sancitum sit. Si quam vero auctoritatem jurisdictionemque habet, ea, nè abutatur, illum privamus, quod ad hanc causam culpamque attinet: nec vero absolutio, si quam impertierit, ullius roboris sit, sed irrita plane ac rescissa, nullaque omnino, tanquam ab eo impertita, qui jurisdictionis & facultatis expers est.

Hic defuerunt Littæ cavillationes, & liberaliter fassus est s. Carolum hoc in loco inanem & cassam asseruisse absolutionem a presbytero datam complici peccati. Non tamen cessit, sed nonnulla reposuit, ut hujus testimonii vim auctoritatemque vitaret, quæ supervacaneum duco recensere, ac refellere, cum ex se corruant. Unum tantummodo animadverto s. Carolum irritam esse hanc absolutionem docuisse, non eo quod repugnat judiciorum naturæ, ut particeps criminis de eodem crimine sententiam ferat, sed eo, quod presbyterum auctoritate & jurisdictione privaverat. Unde nihil ad rem pertinent, quæ art. 122. primo objicit ex judiciorum natura petita.

Videamus modo, an Litta diligentior fuerit in aliis conciliorum actis evolvendis.

De concilio Rothomagensi ann. 1581. loquitur, & refert quædam verba supplicis libelli pontifici maximo dati, quo concilii patres petunt a pontifice, *ut dignetur illis poteſtatem ex decreto Tridentini concedere* absolvendi ab hæresi &c., nec non pontificiæ responsionis quædam fragmenta; ex quibus concludit: *Qui non ſi parla di nullità*. Verum nonne concilium Rothomagense de necessitate jurisdictionis, criminibusque reservatis fuse tractat aliis in locis. Quare quæso ea testimonia prætermittuntur? Sane clariora sunt iis, quæ exscripsit Litta. Ergo majori ratione ea referenda erant. Hæc enim habet n: 1. de curatorum & aliorum presbyterorum officiis: *Deinde poteſtas expoſcitur, quæ per inſtitutionem & collationem committitur. Nam niſi curati ligandi atque ſolvendi poteſtate a prælatis legitime accepta* (quod sane de potestate ordinis accipi nequit) *fuerint præditi, decipiunt populum, nec abſolvunt a peccatis*. Et n. 36.: *Quoniam natura & ratio judicii poſtulat nullius momenti abſolutionem eſſe debere, quam ſacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem: magnopere vero ad chriſtiani populi*

disciplinam pertinere sanctissimis patribus visum est, ut atrociora quædam & graviora crimina non a quibusvis, sed a summis duntaxat sacerdotibus absolverentur: inde manarunt casus reservati tam sedi apostolicæ, quam episcopis .... Hanc autem delictorum reservationem consonum est divinæ auctoritati non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere .... Extra mortis *articulum sacerdotes cum nihil possint in his casibus reservatis, id unum pœnitentibus suadere nitantur, &c.* Quæ omnia desumpta sunt ex cap. 7. concilii Tridentini, ut comparanti patebit, quæque nullam & irritam esse absolutionem injussu episcopi datam apprime confirmant.

Dabimus Littæ hac de re nihil sanxisse concilium Rhemense ann. 1583., ut citato articulo affirmat, licet cap. *de pœnitentia* hæc habeat: *Si quis alieno sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam postulet ... a proprio sacerdote, cum aliter ipse illum non possit absolvere vel ligare;* cum hæc non difficilis interpretationis apud Littam esse possint, qui his similia de simplici prohibitione exponit. Non abs re tamen fuisset ea indi-

care ; quoniam a pluribus in alio sensu facile accipi poterant, ut scilicet nihil faceret sacerdos, qui alienum parochianum absolveret, quemadmodum nos etiam ita intelligendas esse hujusmodi locutiones jam supra ostendimus.

Verum donare Littæ non possumus id, quod de Aquensi concilio ann. 1585. affirmat, idest: *L' Aquense non parla della nostra questione*, & ita concilium hoc prætermisit. Inter ea enim, *quæ ad pœnitentiæ sacramentum pertinent*, hæc tradit: *Episcopus ... confessarios sacerdotes etiam regulares aliquando ad se tum singulos, tum universos convocet ... illis demonstret, & quam bene notos eos casus habere debeant, in quibus absolvendi auctoritatem nullam habeant &c.* Et *de parochis & animarum curatoribus* loquens hæc decernit: *Potestas per institutionem & collationem committatur. Nam nisi curati ligandi atque absolvendi potestatem a prælatis acceperint, decipiunt populum, nec absolvunt a peccatis.* Si hæc ad quæstionem nostram non pertinent, quænam quæso esse poterunt, quæ ad illam pertinebunt? Quod si ad illam quam maxime pertinent, ut nemo non videt, quid dicen-

in mezzo al fol. 20.

dum de ejus diligentia in evolvendis conciliorum actis, deque fide ejus epistolæ habenda?

Ut in afferendis ac examinandis conciliorum statutis Littam consectaremur, nonnulla monumenta omisimus, quæ una cum allatis prorsus ostendunt etiam post celebrationem concilii Tridentini, & ante epocham a Litta constitutam, continuatam & ubique receptam fuisse sententiam, quam tuemur, quæ proinde modo subjicimus; quibus postea recentiores addemus ecclesiasticas constitutiones, quæ apprime comprobant hac de re idem semper in ecclesia traditum fuisse. Non collegimus tamen theologorum & canonistarum, qui pro nobis fere innumeri pugnant, dicta ac argumenta, ne quidem eorum, qui Tridentino concilio interfuerunt, ut clariss. Dominici Soti, Melchioris Cani aliorumque (1), quorum omnium auctoritas quanti momenti sit, neminem latet, ne hoc opusculum in nimium cresceret volumen.

(1) Vide si lubet Dominicum Sotum in 4. sentent. distinc. 18. q. 2. art. 5., & q. 4. art. 2., Canum in rel. de pœnit. p. 6.

Et primo occurrit Bulla Pii papæ V. ann. 1571. (1), in qua hæc habentur: *Inhibentes quibuscunque regularibus ... ne absque speciali in posterum licentia & approbatione ab ordinariis obtinenda, secularium confessiones audire præsumant; decernentes irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.*

Concilium Consentinum ann. 1579. *de pœnitentia* (t. 5. suppl. Labbei): *Cum illis, qui non ab approbato confessore absolutionem acceperint, iterum confiteri necesse sit &c.* Et de casuum reservatione: *Neve tam parochi, quam confessarii casus summo pontifici vel episcopo quacunque ratione reservatos per incuriam absolvendi facultatem, frustra tamen & inutiliter assumant, eos apud parochos & confessarios ipsos scriptos esse procurent &c.*

His addi possunt concilium Ravennate ann. 1568. c. 6. (supp. ad collect. Labbei t. 5.) & concilium Florentinum ann. 1573., quæ de casibus summo pontifici reservatis loquentia apertissime tra-

(1) Collect. act. eccles. Gallic. t. 5. p. 3. tit. 5.

dunt ab iis *frustra & inutiliter & sine fructu* presbyteros absolvere ; quæque proinde præclare ostendunt universim persuasum fuisse nullius momenti esse absolutionem sine transmissa jurisdictione impertitam etiam ante annum 1583.

Concilium Burdigalense ann. 1583. *de pœnitentia* : *Omnibus parochis & aliis sacerdotibus confessionibus audiendis præfectis sub excommunicationis pœna prohibemus, ne deinceps a peccatis & criminibus atrocioribus, quorum cognitionem & absolutionem sibi summus pontifex, aut episcopus in suis synodalibus constitutionibus reservarunt, quemquam absolvere . . . declarantes absolutionem in prædictis criminibus absque certa & præcipua sanctissimi D. N. Pp., vel propriorum episcoporum concessione per parochos & alios sacerdotes, præterquam in mortis articulo, datam viribus penitus carere, & nullam esse.*

Retulit hoc decretum Litta, nec non etiam Messicanum & Narbonense postea exscribenda, quin tamen manus daret ; licet fateatur ipsi contraria esse. Equidem quænam his clariora desiderari possunt ? Hæc enim Messicanum ann. 1585. sanxit: *Jubet omnibus confessariis, ut sine appro-*

batione & facultate diœcesani sacramentum pœnitentiæ ne administrent, aliter confessiones factas irritas declarat, & pœnitentes a peccatis non esse absolutos; ac propterea hi, qui secus, ut dictum est, confessiones audierint . . . punientur . . . confessiones vero, si quas audierint, facultatem & approbationem suam excedentes irritæ sunt.

Concilium s. Severinæ circa ann. 1597. de casuum reservatione (t. 5. supp. Labbei): *Ne tam parochi, quam alii confessarii a casibus summo Romano pontifici vel episcopo quacumque ratione reservatis temere vel per injuriam, inutiliter tamen & de facto absolvant &c.*

Concilium Amalphitanum anni 1597. *de pœnitentiæ sacramento* c. 4. loquens de casibus reservatis pontifici maximo, *frustra & inutiliter absolvere* presbyteros docet. Vide supplem. coll. Labbei tom. 5.

Narbonense concilium ann. 1609. ab ipsomet Litta exscriptum c. 16. *de pœnit. sacram: Sine approbatione nemini omnino liceat audire confessiones sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, cum alias non sit absolvere, sed confitentem decipere, excepto mortis periculo.* Et cap. 17. de criminibus reservatis loquens hoc idem confirmat.

In collectione actorum ecclesiæ Gallicanæ (tom. 5. p. 3. tit. 5.) quædam dubia circa bullam Gregorii XV. *Inscrutabili Dei providentia* referuntur Congregationi cardinalium s. concilii Tridentini interpretum proposita , eorumque declarationes a Gregorio XV. & Urbano VIII. respective approbatæ . Octavum sic lego: *An confessiones , quas audiunt superiores regulares electi seu deputati vel confirmati post publicationem & scientiam tenoris dictæ bullæ , non obtenta episcopi approbatione , sint nullæ atque irritæ , nec ne?* Hujus dubii en resolutio : *Confessiones nullas atque irritas esse* . Idem statutum esse in comitiis cleri Gallicani ann. 1650. liquet ex eadem collectione cit. tom. p. 266. & seq.

His addi possent plurima alia conciliorum & synodorum decreta (1) aliaque

(1) Vide si lubet synodum Leodiensem an. 1662., Bergomatem sub episcopo Daniele Iustiniano an. 1668. decr. 2. , synodum in Veliterna sub cardinali Cybo celebratam an. 1698. p. 36., Fulginatensem sub episcopo Baptistellio an. 1722., Bononiensem sub cardinali Jacobo Boncompagno libr. 2. c. 6. , concilium Ebredunense an. 1727. *de pœnitentia*, synodum Anconitanam sub cardinali Massejo an. 1738. p. 11. aliasque, quæ apertissime idipsum confirmant .

monumenta idipsum apprime confirmantia. Verum jam tædet eadem toties legere. Qui vero hisce non cedit, nullis sane cedet. Idcirco iis omnibus prætermissis utpote supervacaneis, duntaxat excerptum bullæ Benedicti XIV. *Sacramentum pœnitentiæ* ann. 1741. contra absolventem complicem a peccato turpi exscribam, quod edidit etiam Litta, quo nihil clarius, nihil communius atque celebrius hac de re desiderari potest: hæc igitur in ea tradit: *Omnibus & singulis sacerdotibus ... auctoritate apostolica & nostra potestatis plenitudine interdicimus, & prohibemus, ne aliquis eorum extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocunque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personæ complicis in peccato turpi atque inhonesto contra sextum decalogi præceptum commisso, excipere audeat, sublata propterea illi ipso jure quacunque auctoritate & jurisdictione ad qualemcunque personam ob hujusmodi culpam absolvendam, adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita omnino sit, tanquam impertita a sacerdote, qui jurisdictione ac facultate ad valide absolven-*

dum necessaria privatus existit, quam ei per præsentes has nostras adimere intendimus.

Quamquam omnes sacerdotes hac bulla comprehensos fuisse concedat vel ipsemet Litta, & absolutiones omnes a quocunque presbytero criminis complici datas nullas & irritas declaratas fuisse fateatur; attamen, ut ejus vim auctoritatemque aliquatenus infirmet, nonnulla subjicit, inter quæ hæc sane notatu digna sunt: *Mi fa meraviglia* (art. 130.) *l' osservare, che il sommo pontefice asserisca di aver consultato prima il consiglio* nonnnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, & aliquorum in theologia magistrorum, *che abbia rilevato d' averne ricevute istanze* plurium episcoporum, *e che citi l' esempio intorno a tale costituzione*, quemadmodum a pluribus episcopis per synodales suas constitutiones jam factum esse novimus, *e non si appoggi niente al concilio di Trento*. O lepidam admirationem! Ubinam Tridentinum de complicis absolutione loquitur? Ubinam Tridentinum complicis absolutionem nullam esse decernit? Cur ergo a pontifice citandum?

At inquies tametsi non loquatur Tri-

dentinum de complicis absolutione, cum nullam esse absolutionem secundum vos definiat, quæ sine jurisdictione impertitur, utique conveniens erat, ut a pontifice maximo citaretur, quippe qui presbyteris adimit jurisdictionem, ne peccati turpis socium absolvant, & irritam pronunciat absolutionem, si quæ ab ipsis attentaretur.

Verum, ut utar verbis ipsiusmet adversarii citat. artic., nonne *il S. P. suppone questa verità, senzachè essa però sia il soggetto di sua decisione?* Nonne quæ tanquam vera ponuntur, sine confirmatione enunciantur? Quare ergo a pontifice allegandum Tridentinum? Revera de prohibitione absolutionis complicis & ademptione necessariæ jurisdictionis petiit cardinalium & theologorum consilium, de his plures episcopi deprecati sunt summum pontificem, de hisce sydonales constitutiones citantur; quomodonam ergo iis attexendum Tridentinum?

Cæterum tam abest ex omissione allegationis Tridentini aliquid contra expositam a nobis ejusdem concilii sententiam deduci posse, ut idem Benedictus XIV. hac de re agens synodi diœcesanæ libro

5. c. 4. asserere non dubitaverit catholicum dogma esse a Tridentino definitum nullam esse absolutionem a presbytero datam de casibus reservatis. Ait enim: *Posse summos ecclesiarum antistites, multoque magis omnium supremum Romanum pontificem inferiorum sacerdotum jurisdictionem ita coarctare, ut a quibusdam gravioribus culpis, quas sibi suoque judicio relaxandas reservant, ne in foro conscientiæ quidem & coram Deo illi absolvere valeant, catholicum dogma est*. Et post pauca: *Validius idem ecclesiæ dogma contra Lutheri conatus stabilivit Tridentinum sess.* 14. *de sacramento pœnitentiæ, ubi cap.* 7. *catholicam doctrinam exposuit, & canone* 11. *contrarium sentientes anathemate percussit*.

Licet Benedictus XIV., & communiter theologi & canonistæ quæstionem hanc a Tridentino diremptam fuisse tradiderint: nihilominus præter Littam, nonnullos etiam alios superioribus annis in Gallia pro validitate absolutionum, tametsi absque transmissa jurisdictione datæ fuerint, stetisse habetur in continuatione prælectionum theologicarum Tournely de pœnit. c. 8. art. 2.: *Negant in praxi*, (scilicet necessariam esse jurisdictionem) *& in pluribus, quos ea de*

re ediderunt, libris hujus ævi Novatores, quos inter eminent auctores tum operis inscripti, Consultation sur la jurisdiction et approbation nécessaire pour confesser, renfermée en sept questions, 1734. in 4., *tum & voluminis, ipsa sua mole ad lectorum terrorem nati, cui titulus, Les pouvoirs du premier et du second ordre*, 1744.

Hæc volumina nunquam habere mihi licuit; *Consultationis* tamen judicium hac de re a Parisiensibus doctoribus latum legitur in eadem continuatione citato loco, quod hic exscribam: *Quia statim, ut prodiit Consultatio, movit illa stomachum omnibus, qui ecclesiam amant: ejus propositiones num. 44. reprobarunt applaudente orbe catholico Parisienses magistri sex supra octoginta. Harum propositionum prima: Sacramenti pœnitentiæ valor non pendet a jurisdictione; proscripta est, ut erronea, & hæresim a Tridentino condemnatam redolens. Hæc n. 4.: Nullatenus certum est confessionem sacerdoti jurisdictione destituto factam a Tridentino declaratam fuisse nullius valoris; cum præcedentibus aliis, quæ in idem conspirant, explosa est, ut temeraria, falsa, contra veritatem cognitam maligne ad insinuandam hæresim prolata.* Idem de Con-

sultatione aut saltem de principiis ejus judicium tulere archiepiscopi Senonensis, Ebredunensis nunc Lugdunensis, ac Ruthunensis episcopus Joannes d' Yse de Saleon, exinde ad Viennenses infulas assumptus, vir integritate morum, contemptu mundi, effusa in egenos liberalitate commendandus.

Hæc sunt quæ de absolutione a presbytero impertita sine episcopi delegatione aut institutione operæ pretium mihi visum est tradere, atque reponere iis, quæ clarissimus Litta opinatus est. Recte, an secus lectorum permittimus arbitrio. Cæterum si verum, quod quam verissimum est, in rebus ad christianam religionem pertinentibus, spretis nostris aliorumve opinionibus ac conjecturis, universæ ecclesiæ adhærendum esse, & in ea acquiescendum sententia, in quam christiani per omnia sæcula consenserunt: cum, ut in hac nostra dissertatione ostendimus, ubique receptum fuerit, & universalis ecclesiæ consensione semper traditum, nullius momenti habendam esse eam absolutionem, quæ injussu episcopi a presbytero datur, sane propositum nostrum assecutos esse confidimus.

FINIS.